


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
16 A
38

DECRETA
IN DIOECESANA SYNODO FERRARIENSI
promulgata.

Quam Reuerendiss. DD. IOANNES FONTANA DEI & Apostol. Sedis gratia Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ Episcopus habuit die 16. Aprilis M. D. XCII.

His addita sunt aliquot Edicta prius ædita; & quæ in Missarum celebratione seruanda sunt.








FERRARIAE,
Typis Benedicti Mammarelli.
MDXCII.

IOANNES DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

Sanctæ Ferrarienſis Eccleſiæ Epiſcopus
Vniuerſo Clero Ferrarienſi,
Sal. in Domino.





VOD à Beatiſs. Petro Apoſtolorũ Principe Saluator noſter, & Dominus IESVS vnicũ eximij in ſe amoris ſignum verbis illis exegit, dicens: ſi diligis me paſce agnos meos, paſce oues meas id à nobis omnibus quos Spiritu ſuo ſãcto poſuit Epiſcopos regere Eccleſiã ſuam, quàm acquiſiuit ſibi ſanguine ſuo, etiam

postulat assiduè, vt nempe quem ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus nostris, nos præ cæteris qui plus ab ipso accepimus diligere tenemur, in hoc inquam ipsum amemus, vt animas nostras ponamus pro ouibus suis. Cupimus sanè, fratres in Domino dilectissimi, corona nostra, & gaudium cordis nostri, in dies in hoc amore proficere; & quatenus infirmitas nostra patitur, testis est nobis Dominus quomodo vos omnes & singulos habeamus in visceribus nostris: vestra commoda, & decorem vestrum, sed (quod solum interest) conformem Dignitati vestræ qua uos decorauit altissimus, vitæ sanctitatem & morum religionem, semper procurantes; & ob id labores omnes & pericula alacri & prompto animo subire parati; sed & quæcunque ardua, ac dura videntur dulciora nobis sunt super mel & fauũ, si per ea vos Domino lucrifaciamus, æmuli hac in re sancti Iacob qui cùm seruisset Socero suo Laban pro Rachel septem annis; videbantur attamen ei pauci dies præ amoris magnitudine: Ideoq́; quoniam nõ hominum, sed Dei inter vos causam agimus, nihil est quod non sit à nobis tentandum, vt in die magni & tremendi iudicij coram Domino inueniamini immaculati, immò tales qui sedere mereamini, & vos super sedes

duo-

duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Inter ea vero quibus Eccleſiaſtica diſciplina, & Chriſtiana Religio maximè promouetur & conſeruatur, antiqua ſynodaliũ Conuentuum à primis ſanctiſſimorum Apoſtolorum temporibus ad nos vſque deriuata conſuetudo Principem locum obtinet: ex plurimis namque huiuſmodi Congregationum fructibus, non minimus eſt, quædam pietatis, & Eccleſiaſtici feruoris viuificatio: ſumus quippe omnes ſic à natura proni ad malum, vt facillimè in id relabamur, nec ſine maxima difficultate in bono perſiſtamus; ſed & neutrum horum, niſi Deo dante conſequi poſſimus, vt ſcilicet à malo declinemus, & faciamus bonum: Hinc fit, vt ſiquando, ſancto nos illuminante ſpiritu, à peccato recedimus, & rectam aliquam vitæ rationem inſtituimus, niſi ſæpius diuerſimodè iuuemur, à bono ſtatim deflectentes, in malum nobis quodammodo connaturale recidamus: ſicut enim aqua ſuapte natura frigida, licet ſuppoſito igne calefiat, & ferueat, ſi tamen ligna ſubtrahãtur, non etiam continuò addantur, recedente calore mox ad priſtinam frigiditatem naturæ ſuæ propriam redit: Sic & nos frigidi ſumus naturæ peccato; charitatis tamen igne aliquando caleſimus, ſed niſi continuò ligna addantur, reme-

dia varia adhibeantur, væh nobis quia illico refrigeſcit charitas, & abũdat plurimorum iniquitas: aſſiduè igitur addenda ſunt igni charitatis ligna, vt diu ipſius in nobis calor perſiſtat. Hunc verò ignem perpetuum ſuper Altari ſuo Dominus exigens, quod Altare eſtis vos, eius nutriendi ac fouendi curam nobis demandauit, dicens: Ignis in Altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies: Ignis eſt iſte perpetuus qui nunquam deficiet in Altari. Synodales huiuſmodi Congregationes ligna ſunt, ob id potiſſimùm inſtituta, vt magis inflammetur charitas, & corda Sacerdotum, hùc ſimul conuenientium magis calefiant, ac in bono perſiſtendi, & ad meliora in dies progrediendi vires aſſumant: ſiue enim hic de ſtatus & Dignitatis veſtræ magnitudine agatur, ſiue de religione promouenda, ſiue de tollendis abuſibus, ſiue de corrigendis moribus, ſiue de puniendis exceſſibus, ſiue præmia dignis ſacerdotibus promittantur, ſiue pœnæ proponantur indignis: his omnibus veluti lignis, viuũ ſatagimus ignem illum in vobis conſeruare & augere, quem venit Dominus mittere in terram, & id maximè requirit, vt in uobis ardeat imprimis, tum uerò per vos cæterorum Chriſti fidelium corda inflammet, &

animas. Quod verò nos in paſtoralibus ſollicitudinibus noſtris non parum recreat, illud eſt, quod non noſtris meritis, ſed infinita ſua bonitate conſolatur nos Dominus, in religione veſtra, & animi promptitudine qua vos viam Domini currere paratos agnouimus: Vnde quæcunque à nobis fiunt ad ſalutem veſtram grato & benigno animo cõplectenda non dubitamus; licèt etenim fortè nonnulla ijs, qui Diuina non ſapiunt (quales intèr vos nullos eſſe cõfidimus) duriuſcula videri poſſint; ſanius tamen ea conſiderantibus, à paternis animi noſtri viſceribus, vti neceſſaria pellendis morbis & reſecandis vlceribus medicamenta, atque cauteria ſuſcipientur. Hinc ſanè adducti, edictis in præſenti Synodo promulgatis, vt plurimum quatenus fieri potuit, pœnis proponendis in tranſgreſſores abſtinuimus; pietati ſi quidem veſtræ & religioni quam mirificè obſeruamus, ſic fuerat & deferendum, & pariter conſulendum, ne ſi in quorumuis manus Decreta noſtra comminationibus & minis paſſim ſtipata deueniſſent, male & perperàm de vobis fortè ſentiendi hinc occaſionem arriperent; & probata integritas veſtra pollicetur, non timoris pœnæ, ſed amatæ pietatis ſtimulo ad vnguem omnia nõ modo hic deſcripta, ſed & multò plura prompto

animo à vobis obſeruanda: Vnde & vos vti obſequentiſſimas oues ſperamus quia facile quò voluerimus, ducemus & reducemus paſtoralis virga dulcedinis, baculo nihilominus etiam parati renitentes; & a recta legis via aberrantes, ad Dominicum ouile compellere; vt qui bonis paſtores erimus & patres, rebellibus & proteruis, Iudices, eſſe non dubitemus, pœnis per ſacros Canones, & Apoſtolicas, ac Synodales Conſtitutiones impoſitis, ac aliјs arbitrarÿs quos ÿs indigere cognouerimus compeſcentes. Quòd & ſi quempiam noſtra hæc paſtoralis charitatis viſcera contriſtauerint non nos pœnitet; & ſi vnquam pœniteret, vidẽtes quod hæc (& ſi ad horam) aliquem contriſtaſſent, tunc tamen gaudebimus, non quia contriſtatus quiſpiam fuerit; ſed quia contriſtatus ad pœnitentiam: tales enim contriſtabuntur ſecundum Deum, vt in nullo detrimentũ patiantur ex nobis: neq; enim nos aut noſtra quærimus, ſed Dominum; prout & vos nec veſtra quærere oportet, ſed Deum, memores quia cùm à nobis, aut à prædeceſſoribus noſtris infra Domini caſtra fuiſtis adſciti, de vobis diximus: Hæc eſt generatio quærentium Dominum. Omnes igitur inſimul omni tempore Dominum quærentes, nunc maximè quæramus, cùm peccatis noſtris id pro-

merentibus, a nobis elongatus agnoſcitur, & tanquam dormiens, crapulatus à vino, dum nauicula ſua fluctibus agitatur, ventis eam ac procellis, & marinis etiam monſtris quibus hoc mare magnum, & ſpatioſum nimis abundat, vexandam permiſiſſe. Quæremus, & inueniemus ſi memores vnde exciderimus, cum Epiſcopo Epheſinæ Eccleſiæ, agamus pœnitentiam, & prima opera faciamus, priorum ſcilicet illorum naſcentis Eccleſiæ verè ſacerdotum opera imitemur: Hic huius Synodi & Cõciliorum omnium finis & ſcopus eſt, vt primæua & antiqua diſciplina Eccleſiaſtica reſtituatur, & tales denuò efficiamur, quales eos eſſe decet qui ſæpius per ſingulos dies Domino dicunt: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: vt tandem haud indignis, iuſtiſſimus Iudex, reſtituat hæreditatem noſtram nobis immarceſcibilem, & incontaminatam in cœlis. Amen.



IN NOMINE SANCTÆ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

NOS Ioannes Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Ferrarienſis Eccleſiæ Epiſcopus ad Dei Omnipotentis, Beatæq; Mariæ ſemper Virginis, ac ſanctorum Georgij, & Maurelij Martyrũ laudem, hæc pro Chriſtianæ diſciplinæ & morũ confirmatione, qua clerum, populumq; fidei noſtræ concreditũ prælucere totis in Chriſto viſceribus expetimus, in noſtra diœceſana Synodo prima decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.

Confirmatio præcedentium Synodorum, ſeu Conſtitutionum.

QVæ piè à Reuerendiſs. Epiſcopis prædeceſſoribus noſtris ſiue Synodalibus Decretis, ſeu alijs quibuſcunque Conſtitutionibus, ac cæteris noſtris Edictis ſtatuta fuerunt, ea nos omnia, & ſingula præſentis Decreti *tenore confirmamus, ac inuiolabiliter ab omnibus quorum intereſt, obſeruari mandamus: ijs dumtaxat, quæ fortè Sacroſancti Oecumenici, & generalis Concilij Tridentini, aut Sacrorum Canonum ſanctionibus aliquo modo aduerſentur, aut per præfatum nouiſſimum Concilium aliqualiter correcta fuerint, ſiue immutata.*

DE FIDEI PROFESSIONE ab omnibus beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus facienda.

QVI Eccleſiaſticis fructibus aluntur congruum eſt, vt Catholicæ fidei, cui Sacro ſancta innititur Eccleſia propugnatores fortiſſimos ſeſe ſemper oſtendant, & quæ intrinſecùs mordicùs retinent, ea etiam ſiue alios doceant extrinſecùs; ſiue (ſi ad id minus fuerint idonei) qua tamen poſſunt ratione, quod animo conceperunt, verbis etiam & operibus prodant: Corde enim (ait Apoſtolus) creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Hinc à Sanctiſſimis Patribus; nouiſſimè verò à fœlicis recordationis Pio Quarto olim Romano Pontefice ad Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi præſcriptum; non modo ſtatutum eſt vt quicunque beneficia Eccleſiaſtica, quocunque ea nomine nuncupentur, & præſertim curam animarum habentia obtinent fidei ſuæ profeſſionem in manibus Ordinarij emittãt; ſed & ad id tempus præfixerunt: Quo lapſo qui eam non emiſerint, fructus ſuos minimè facere cenſeantur, vel illis poſſeſſio beneficiorum non ſuffragetur. Ea ſalutaris inſtitutio, vt ab omnibus Ci-

uitatis & Diœcesis huius Canonicatus, & Dignitates habẽtibus Parochialium etiam Rectoribus, seu Vicarijs perpetuis, ac alijs quorumuis Beneficiorum etiam curam animarum nõ habentium obseruetur districtè præcipimus sub ijsdem pœnis, & fructuum amissione, quæ in supracitatis Concilio, & Bulla comprehenduntur, & etiam grauioribus arbitrio nostro reseruatis.

Vt verò in hoc maior in posterum adhibeatur diligentia, & incuria omnis caueatur præter supradictam fidei professionem infra duos menses à die consecutionis quorumlibet beneficiorum factam in prima etiam Diœcesana Synodo celebranda ab omnibus supradictis eandem semel repeti, & denuo fieri in manibus nostris & successorum nostrorum sub pœnis contentis in Decretis Concilij Tridentini in eos qui id facere neglexerint, mandamus.

De Parochis, ipsorum Residentia, Officijs, Resignationibus, & Mortis tempore.

Parochus adhuc eò debet esse Clericis, & Sacerdotibus omnibus, (nedũ solis laicis) probitate, & eruditione præstantior, quò ipse potissi-

mum in partem ſollicitudinis curæ Epiſcopalis, eſt à Domino vocatus, eiq́; non modo pro ſe, ſed & pro ſubditis ſibi animabus eſt rationem reddi-turus: Ad ipſum tremenda illa omnia, quæ per Prophetas aduerſus Paſtores deſides, & ocioſos, aut impios comminata ſunt, itidem ſpectāt. Quo circa non modo quæ de Clericis, & ſacerdotibus in vniuerſum dicuntur ei ad vnguem ſunt obſer-uanda, ſed & alia multa ex quibus quædam hic adnotabuntur; quibus etenim plus datum eſt, mi-nime dedecet vt plus repetatur ab eiſdem.

Vt oues ſuas paſcat Parochus, continuò inter eas degat neceſſe eſt; neque enim animas Chriſti oues mercenario debet comittere is cui per ſemet-ipſum eas paſcere incumbit. Quicunque igitur Beneficia cum cura animarum obtinent, infra Menſem ad reſidentiam ſeſe conferant; nec in-de vllo prætextu, aut cauſa recedant pernoctatu-ri extra locum reſidentiæ ſuæ abſque expreſſa no-ſtra licentia, ſub pœna contenta in noſtro Edicto: Diebus autem feſtis, ſiue Dominicis, abeſſe ab Ec cleſia ſua non poſſit: neque ei ſuffragetur quod Ca pellanum habeat ſeu coadiutorem; nec quòd Fer-rariam ſe conferat. Quod ſi quis perſonalīter nō reſederit, pro rata fructibus Beneficiorum præter pœnas à nobis ſupra impoſitas, norit ſe ex conſci-

entiæ debito carere debere, mortale insuper peccatum incurrere. Quæ autem pœna diurno tempore absentibus est præfixa, noctu absentibus duplicetur. Si quis vero infra Mensem ad residendum in Ecclesia sua non accesserit, ipso facto Ecclesia sua priuatus existat.

Canonici etiam nostræ Cathedralis Ecclesiæ personalem residentiam sub eadem pœna, & munera sua exequi teneantur.

Parochi residere non intelligãtur, nisi in propria Ecclesiæ domo habitauerint perpetuo, non autem in paterna, siue materna, aut alia conductitia, nisi iustis & vrgentibus de causis à nobis in scriptis facultatem acceperint extra Parochialem domum habitandi.

Siquando per nos Parocho cuiquam facta fuerit facultas, vel ad Ciuitatem accedendi, vel aliò sese conferendi (ad modicum tempus) facultate hac ipsa, minimè liceat vti, nisi prius Parochiam suam viciniori alicui Parocho de consensu nostro diligentissimè cõmendauerit, & recedens etiam coram nobis comparuerit.

Ante Solemnitates Paschæ, & Natalis Domini per octo dies immediate antecedẽtes nullo modo, nec sub vllo prætextu, etiam cuiusuis facultatis à nobis obtentæ, nisi in ea specifica & indiui-

dua talis temporis, & eiuſmodi dierum fiat expreſſio, à Parochia ſua recedat, nec ad mortuorum officia in alijs Parochijs celebranda, niſi ante meridiem ſit rediturus, ad hoc vt confeſſionibus audiendis, & alijs quibus eiuſmodi ſolemnitates ſunt præuenienda, vacare poſſit.

Diebus Dominicis, & feſtis omnibus anni, quibus de præcepto Miſſa à fidelibus eſt audienda in Eccleſia ſua propria Miſſam celebret quilibet Parochus, nec ad alias Eccleſias quarū forte dies ille ſit ſolemnis, & earum Sancto Titulari ſacer celebraturus accedat.

Quicunque Parochi ex Decreto noſtro, aliauè ratione, aut laudabili Eccleſiæ, cui præſunt, conſuetudine, aut pro magnitudine Parochiæ Coadiutorem curæ habere debent, pro temporis ratione quo non habuerint ſi culpa aut negligentia ſua euenerit. quicquid ſtipendij aut expenſarum debuiſſent coadiutori, in pœnam perſoluāt arbitrio noſtro in pios eorum Eccleſiæ aut alios vſus, erogandam: Id ipſum ſi clericum non habuerint in habitu & tonſura clericali ſibi in Diuinis miniſtrantem, præter alias pœnas ad ratam temporis quo eo caruerint perſoluant.

Qui ad præſens plura beneficia incompatibilia, quacunque ex cauſa obtinēt, cuiuſcunque ge-

neris

neris existant, etiam sub vnionis prætextu, infra duos Menses nobis ostendant quo iure & titulo ea possideant; alioquin eorum altero seu pluribus, ipso facto priuati censeantur.

Quo die ad solemnitatem vel ad pro Mortuis celebranda officia ad vnam aliquam Ecclesiam plures Parochi conueniunt, simul cibum capturi; id facere non possint, nisi in propria Parochi Domo: qua in re Parochi, aut Ecclesiæ illius (si parochialis non fuerit) Rectoris munus id sit, vt nullus omnino Laicus, quicunque is sit, ad capiendum cibum cum Ecclesiasticis viris admittatur: Ecclesiastica frugalitas seruetur; præter fructus, & pulmentaria, seu offam, vnicum tantum ferculum siue elixum, siue assum, aut frixũ, & si dies abstinentiæ fuerint, vel oua tantum, vel pisces apponãtur: Mensæ sacra lectio continuo adhibeatur: qui in his negligentes fuerint arbitrio nostro mulctentur.

Hæc eadem victus frugalitas ab Ecclesiasticis continuò seruetur; potissimum verò etiam Visitationis tempore sub pœnis in contra facientes in edicto nostro de Visitatione statutis; quia esca ventri & venter escis; Deus autem (inquit Apostolus) & hunc, & has destruet.

Missam cum Parochus celebrat, ea omnia quæ

de Miſſis dicitur ſub ea rubrica exacte obſeruet.

Dum officia Diuina celebrantur, curet ut pauperibus per Eccleſiam mendicare, per eandem deambulare, aut arma vetita in eam introferre nemini liceat.

Norint Parochi omnes cantum firmum, atque ei addiſcendo aliquid temporis impendant, vt monſtruoſa illa vocum diſſonantia, quæ alicubi non ſine dedecore, & tædio auditur, tollatur.

Quæ de crucibus, aut alijs imaginibus pingendis, aut ſculpendis hac Synodo ſtatuuntur obſeruari faciant.

Parochi, & cæteri aliarum Eccleſiarum Rectores in quibus Miſſa frequẽtius celebratur earum nitori, & ſplẽdori ſtudeant; eas quauis hebdomada ſemel ſaltem euerri faciant, ac aranearum telis, vndique expurgari; Altaribus quotidie mundandis ſeparatum habeant ad hunc vſum dumtaxat, verriculum in Sacriſtia; curent etiam ne extra Eccleſias, aut propè parietes, aut in Cœmeterijs immunditiæ vllæ adſint.

Norint Parochi omnes ſeſe teneri conſcientiæ vinculo animas eorum Curæ traditas verbi Dei prædicatione paſcere: Quo circa admodum Reuerendos examinatores ad Beneficia electos monemus, vt cum ad Parochiales Eccleſias aliquem

examinari contigerit id diligẽtissimè explorent; num aptus futurus sit ad Euangelium singulis festis diebus populo explicandum: qua de re in examine, etiam ex tempore periculum faciant: ad id vero munus ineptos nullatenus approbent: super quo eorum conscientias oneramus. Parochis autem ipsis districtè etiam præcipimus, vt Dominicis, & festis singulis diebus infra Missam populo Euangelici eloquij panem frangant, & diuidant: ad quod si minus fuerint idonei, aliquam homeliæ vulgari idiomate super eo Euãgelio scriptæ partem morosè, & attente, ac alta voce perlegant: quod quoties non fecerint, aureo nummo vno mulctentur.

Quoniam Prædicatores in partem ministerij, & ad supplendum Parochorum officium vocantur: Ideo mandamus omnibus Parochis ad quos tempore Quadragesimali iuxta laudabilem nostræ Diœcesis consuetudinem diuerterint, vt eos benignè recipiant, fraterne tractent, & cum charitate insimul habitent, proprijs eos sumptibus alant quandiu ibi prædicãdi munus exercuerint, aut si id ad populum spectet, Parochi hoc fieri curent, ne Prædicatores quo tempore studere deberent, cibum sibi emendicare cogantur: eos de vita, & moribus suorum Parochianorum infor-

ment, vitia aperiant, remedia ſimul opportuna excogitent; vt ad gloriam Omnipotentis Dei, & cum populorum ſalute officium Prædicationis exercere poſſint.

Prædicare autem in Parochia ſua neminem permittant Parochi, qui eis miſſionem noſtram non oſtenderit; prout nec eleemoſynas quærere, aut Miſſas celebrare non ſinant quenquam incognitum Sacerdotem, aut ſine licentia noſtra.

Repræſentationes paſſionis Domini Noſtri, aut vitæ, ſeu mortis ſancti alicuius in Parochijs ſuis, niſi obtenta à nobis facultate in ſcriptis, Parochi à nemine fieri, aut recitari patiantur.

Parochi ſæpè inter Miſſarum ſolemnia feſtis Diebus ſceleſtiſſimum blaſphemiæ vitium deteſtentur; hortenturque Parochianos ſuos vt blaſphemos ſibi denuncient, & arguant; ſcientes ſe obſequium præſtare Deo: & conſequi indulgentias à Leone Decimo, in Concilio Lateranenſi conceſſas: Abſolutionem verò eorum qui publicè Deum, eiuſque Sanctos blaſphemauerint nobis reſeruatam eſſe indicabunt: ſodalitatem vero nominis Dei ad blaſphemiam tollendam in ſuis Parochijs inducere ſtudebunt.

Admoneant ſibi ſubditos; teneri omnes ſub pœna peccati mortalis, non modo abſtinere car-

nibus, ouis, & lacticinijs, toto Quadragesimæ Tempore, & quatuor anni temporibus, & omnibus determinatis sanctorum vigilijs; verum etiã integrè ieiunare, ijs demptis quos siue ætas, siue aliud quoduis legitimum impedimẽtum à sacris Patribus expressum à ieiunando excusat.

Hortentur Parochianos suos, vt statim ac quis infirmatur presbyterum Parochum, infirmi, consanguinei, seu affines aduocent non minus quam corporalem Medicum; vt Oratio fidei saluet infirmum.

Concubinarios; eos itidem qui per annum in excommunicatione permanserint, ad nos Parochi deferant, vt cum huiusmodi iuxta Sacrorum Canonum Constitutiones agamus.


Omni conatu studeant, superstitiones omnes, ac quasdã minus pias rudium deuotiones à mentibus Parochianorum suorum extirpare, quæcunque etiam ad superstitionem tẽdere cognouerint, prout incantationes, diuinationes, malias, maleficia, & ijs similia contendant amouere.

Ineunte Quadragesima publicè peccantium, & eorum qui cæteris scandalo sunt singularum item aliarum difficultatum spiritualium quibus Parochi in sua Parochia impediuntur, indicem nobis ipsi deferant.

Parochus Eccleſiam ſuam renũcians, aut permutans, iuxta inuentarium bona omnia, iura, libros, & ſcripturas ſucceſſori conſignet; eos imprimis libros, quibus Baptizatorum, cõfirmatorum, Matrimoniorum & ordinationum nomina, & ſeries continentur.

Cum Parochum aliquem in Diœceſi potiſſimũ decumbere, aut infirmari contigerit, vicinior Parochus, ſeu (ſi plures ſint æque vicini) alternatim conſacerdoti infirmo, & eius ouibus Charitatis munus impendant; crebro languentem viſitent, hortẽtur, ſacramenta eidem ſi opus fuerit, miniſtrent, morienti demum aſſiſtant, ac defuncti corpus honorificæ mandent ſepulturæ; memores quia in qua menſura ipſi menſi fuerint alijs; ipſis etiam remetietur.

Et quoniam inter conſacerdotes potiſſimum charitas vigere debet, quia in hoc cognoſcent homines quod Chriſti ſimus Diſcipuli: Ideo omnibus ſacerdotibus diſtrictè præcipimus, vt quoties ad ipſos fuerit perlatum Parochum aliquem, huius Ciuitatis, aut Diœceſis eſſe defunctum, binas Miſſas pro ipſius anima ſtatim duobus proximè ſequentibus diebus, niſi feſto, aut Dominica fuerint impediti, celebrent; pro aliorum vero ſacerdotum ſimplicium, ſeu Eccleſiaſticarum per-



ſonarum defunctarum animabus ſacrum vnum itidem vt ſupra faciant. Clerici vero non ſacerdotes Miſſarum loco, nocturnum defunctorum, & totidẽ Roſaria quot fuerunt ſacerdotibus Miſſæ iniunctæ pro ijſdem animabus deuote recitent, & perſoluant.

Parochorum ſubſtituti, ſeu viciniores Parochi, vbi primum Parochũ aliquem, aut aliud Beneficium Eccleſiaſticum obtinentem mori contigerit, ſeu alias aliter Beneficium vllum vacare, ſtatim per nuncium ſpecialem, & expenſis Beneficij ſic vacantis mittendum, nos de huiuſmodi vacatione aut morte certiores faciant, vt indemnitati dictorum beneficiorum quanto citius prouidere poſſimus.

Sacrorum Canonum auctoritatem ſequuti illud edicimus, vt ſi fructus parochialium, & præſertim frumenti recollecti fuerint, & poſt Eccleſiæ Rector deceſſerit: is qui illius Eccleſiæ fructus ad ſe pertinere aſſerit, aut aliquo modo prætẽdit; ære alieno (ſi quod defunctus ratione Eccleſiæ habet) perſoluto; qui ex ijs reliqui fructus erunt, eos ſibi retineat.

De Clericis Parocho inſeruientibus.

QVilibet Parochus iuxta Concilij Maticenenſis Decretum Clericum apud ſe habeat in habitu, & tonſura clericali incedentem; quo adiutore Miſſam celebret, aliaque ſacramenta adminiſtret, & functiones Eccleſiaſticas faciat.

Hunc vel ad ſcholam erudiēdum mittat quotidie vel ipſemet Parochus tum in pietate, & bonis moribus, tum grāmaticæ ſaltem rudimentis, & Cathechiſmi Romani declaratione inſtruat.

Miſſam nullus vnquam ſacerdos celebret, niſi clericum habuerit miniſtrum ueſte talari ſaltem, & ſuperpelliceo candido indutum.

Clericum eum deligant Parochi qui legitimis ortus natalibus Clericali Militiæ adſcribi, in eaque progredi, ad ſacerdotium etiam, deſideret.

Iuuet Parochum Clericus quoties ſacramenta aliqua miniſtrabit, vt ſupra dicitur, veſtitus.

Doctrinam Chriſtianam, & ipſe pueros doceat, ad vlteriores ordines à nobis nunquàm promouendus, niſi id ſedulo & aſſidue ſeſe feciſſe, teſtimonio manu propria ſcripto, & iuramento Parochi ſui confirmato, nobis fidem fecerit.

In Aurora, in Meridie, & ad Vesperam salutationis Angelicæ signū det, vbi nullus adest cui pulsandarum campanarum munus alia ratione incumbat.

Ad Missas aliaque Diuina officia, ad Conciones; & Doctrinam Christianam campanæ signum det.

Missis inseruiat ea grauitate, ac reuerentia, quæ tantum mysterium decet.

Non nimis alta, aut festinanti voce sacerdoti celebranti respondeat.

Cum à Sacristia sacerdos ad Altare celebraturus egreditur, modestè admodum, tribus ad summum ictibus tintinnabulum pulset: itidem faciat, dum in Missa Sanctus ter dicitur, aut Sanctissimum Christi corpus, & sanguis sustollitur.

Sacerdotis celebrantis biretum non super Altare ponat, sed clauo in pariete propè Altare fixo, appendat, Candelas non extinguat, donec vltimum Missæ Euangelium sacerdos integre recitauerit.

In omnibus denique talem se gerat, vt nos tuta conscientia, ipsius virtutibus, & modestia, nullaque re alia inuitati, ad altiores, eum ordines promouere valeamus.

Semel saltem quolibet Mense, & solemniori-

bus diebus peccata ſua confiteatur, & (ſi per ætatem poſſit) Sanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumat.

Et quàmuis Ferrarienſium Sacerdotum integritas nobis abunde perſpecta ſit, ijs tamen quæ ſuggerente & procurante Diabolo, vt alibi, ſic & inter eos aliquando ſeſe poſſent intrudere, prouidere cupientes: Parochis omnibus diſtrictè mandamus ſub excomunicationis pœna ne apud ſe filios illegitimos nutriant neue in ſuis Eccleſijs eos vllo modo deſeruire, aut miniſtrare patiantur; cum ſatis ſuperque ſit, ipſorum peccata Deo nuda eſſe & manifeſta, abſque quò coram populi oculis continuò, & quidem non ſine graui ſcandalo, & murmurandi, ac detrahendi occaſione verſentur.

De Clericorum, & Sacerdotum honeſtate, moribus, officio Diuino, & Studijs.

Q*Vos Dominus ſibi populum fecit acceptabilem, & quibus ipſe eſſe voluit pars hæreditatis, immo vero integra, & perfectiſſima hæreditas, ac Dignitate, & gradu præ cæteris ſublimauit, quantum ipſi cœli exaltati ſunt à*

terra;

terra; eos non modo attentos esse oportet, ne in ea incidant quæ & in laicis omnibus peccata sunt, sed & vitam suam ac mores ita disponere, vt qui dignitate præeminent, vita quoque morigerata modesta, & laudabili, tanquam lucernæ supra candelabrum positæ cæteris, qui in magna Mundi Domo sunt, præfulgeant; ne sint sicut populi, ita & Sacerdotes, & Clerici.

Magistri itaque populorum futuri, & Medici, discant imprimis ipsi quæ postmodum cæteros doceant; & omnes in seipsis animorum morbos curent, ne audire mereantur: Medicè cura te ipsum.

Qui clericali militiæ igitur adscribi volent, norint sese ad vlteriores ordines nunquam promouendos, nec Ecclesiastica Beneficia adepturos, nisi ad morum probitatem, eruditionem quoque adiunxerint; diligentissimo examine singulis vicibus, ideo subijciendi. Quo circa grammaticæ fundamentis primum iactis, humanioribus litteris operam dent; & qui in Ciuitate degunt, Patrum Societatis Iesu scholas; qui verò in Diœcesi ludi magistrorum Gymnasia frequentent: latinam linguam apprimè addiscant, vt quæ legerint intelligere, & cæteris aperire valeant: Doctrinæ Christianæ ex libello a nobis ædito capita

omnia eorumque explicationẽ memoriæ tradant. Qui vero prouectiores fuerint ſummæ alicui faciliori caſuum Conſcientiæ inuigilent; habeant item præ manibus Euãgeliorum, & totius Sacræ ſcripturæ paraphraſes; Diuini verò codices, & ſacra volumina ab eorum oculis nunquã recedãt.

Nec vero qui Parochiales Eccleſias & Beneficia conſecuti ſunt, ſibi conſiſtendum, exiſtiment, & negligenda ſtudia. à nobis enim frequentius examinati ſi negligentiores in hoc fuerint reperti à Beneficijs, & officijs ſeſe pro certo habeant, fore ſuſpendendos, priuandos etiam ſi per ignorantiam ſeſe reddiderint indignos.

Diuinum officium in Eccleſia, aut ſi aliquando domi, genibusflexis, deuote coram Sacra aliqua imagine, modeſte, attente, & integre recitẽt, qui ad id recitandum ordine ſacro, vel Eccleſiaſtico Beneficio ſunt deuincti; non deambulando, neque vagando, aut varijs ſermonibus interrumpendo; nec vero in via, niſi itineris neceſſitas aliter poſtulet.

Et quoniam legere, & non intelligere, negligere eſt; ſunt vero inter cætera in Matutino officio, quod ſingulis diebus eſt perſoluendum, plerunque lectiones vel difficiliores intellectu, vel quæ ſine ſpirituali fructu à pleriſque leguntur:

Ideò cum nostro iussu à Reuerendo Domino Ioanne Baptista Posseuino Presbytero Mantuano, Theologo nostro æditus sit liber vere aureus declarationum, & meditationum singularum lectionum Matutinalium; eum omnes qui ad Diuini officij recitationem tenentur hortamur, vt sibi comparent, & habeant studioseque legant; cuius quidem libri vsus hic fuerit, vt (cum ad instar Breuiarij Romani per ferias sit distinctus) post Matutini recitationem statim ex ipso libro, lectionum eius diei explicationem quilibet perlegat.

Clerici in minoribus Ordinibus constituti, præter solemnitates prima quauis Mensis Dominica saltem: in sacris verò qualibet Dominica Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta sanctissima frequentent quibus præter cætera dona Spiritus sancti, fortitudine repleti in via Domini, progredi valeant, & vndequaque bonorum operum & virtutum exempla præbere.

Idipsum omnes Ecclesiastici faciant quotannis initio Synodi, qui summo mane non celebrarint è nostris manibus sacrosanctam Synaxim suscipientes, & ij qui in nostra Cathedrali Ecclesia reperientur feria quinta in Cœna Domini.

Clericis omnibus & præsertim qui sacris or-

dinibus initiati ſunt; quiue Beneficium Eccleſiaſticum etiam nullius curæ obtinent, vltra octo dies à Diœceſis noſtræ finibus abeſſe non liceat, niſi à nobis facultatẽ in ſcriptis obtinuerint ſub pœna priuationis Beneficiorum, & alijs etiam arbitrio noſtro.

Clericis Beneficium Eccleſiaſticum obtinentibus; alijs etiam qui in habitu clericali incedunt, licet aduenæ ſint, ſacris ordinibus initiatis, & regularibus, extra clauſtra cum legitima facultate degẽtibus, laicis hominibus, ſiue mulieribus, quouis gradu, aut dignitate præditis, in quocunque munere, aut officio obeundo, vel quauis cauſa illorum Domi, in Vrbe, foriſue operam ſuam in futurum nauare non liceat, & ijs omnibus & ſingulis edicimus, vt dimiſſa hac Synodo, menſe poſt, ab illis laicorũ ædibus abeant, niſi litteris noſtris permiſſũ eis erit, iuſta de cauſa perſeuerare.

Si quibus vero hactenus huius rei poteſtas facta eſt, id eo ipſo præſtituto tempore nobis denuncient atque oſtendãt: vt de ipſorũ conditione, & qualitatibus diligẽtius inueſtigemus, & quod in ea Domo munus exerceãt. Qui contrafecerit ab ordinis ſui munere tandiu amotus ipſo iure ſit; quoad nobis videbitur, arbitratuque noſtro præterea mulctetur.

Quicunque Beneficia habent Ecclesiastica, seu ordines aliquos, tonsuram Ordini quem habent conuenientem patentem deferant, ac octauo quouis die renouent, vt facile ab omnibus dignoscantur cum regalis sacerdotij corona illa insigne sit: & perfectionis quod si quis fraudulenter, aliavè de causa eam non detulerit, sciat se mortaliter peccare, & quod sacri Canones imponunt pœnam anathematis; & ijs etiam qui pileum gestant suspensionem fructuum Beneficiorum per annum.

Capillos capitis, & barbæ ita tondeant, vt Clerici, & Ecclesiastici videantur non milites siue effœminati, ne in sumptione pretiosissimi sanguinis Christi Domini superiores capilli eminentes intingantur.

Nullus Ecclesiasticus in platea, foro, porticuuè vicinijs, tabernis, officinisue publicis ociose, subsistat, aut vagetur, nisi necessitas postulet.

Ne item post secundam noctis horam, nisi pro administratione sacramentorum, & alia iusta causa, aut necessitate cogente domo exeat: qui contrafecerit, impune à satellitibus ad carceres ducatur, ijsdemque pœnis (nō tamen corporalibus) subiaceat, quibus laici homines qui lapsa ea hora absque lumine per ciuitatem vagantur.

Clericos omnes, & Ecclesiasticos Clericali ha-

bitu

bitu depoſito incedentes per Ciuitatem, aut Diœceſim, & etiam qui arma portauerint, præter excommunicationis pœnã à iure impoſitam, & ammiſſionis armorum, ac etiam veſtium, quam incurrent; liberum ſit ſattellitibus abſque alia expreſſa commiſſione noſtra, aut Vicarij noſtri ad carceres ducere inibi grauiſſime puniendos.

Eccleſiaſtici, canes ad venandum, neue accipitres domi ſuæ alant ſub pœna ſuſpenſionis; ſub qua etiam pœna ad venandum nec ſoli, nec cum alijs vllo prætextu accedant: cui item pœnæ ſubiaceant qui aucupijs vacant, & ob id aues quaſlibet nutriunt. poſſunt enim vt inquiunt Canoniſtæ propter hanc inobedientiam excommunicari.

Aleis aut taxillis, ſeu cartis pictis, quocunq; nomine nuncupentur: magna pila coriacea (dicta pallone) neue alio vllo ludo, cui pecuniæ interueniant, ludere audeant, ſeu ludentibus intereſſe ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, & alijs grauiſſimis arbitratu noſtro, eſt enim peccatum mortale, & pœnam excommunicationis, & depoſitionis meretur ſecũdum Canones; Imperatorum autem lex clericos ludentes, & ludẽtium participes, aut inſpectatores tribus annis à miniſterio prohibet, & in monaſterium redigi iubet.

Et quoniam militans Deo implicare ſe nõ de-

bet negotijs ſecularibus, ideo Eccleſiaſtici omnes ab omni, cuiuſuis generis mercatura, ſecularibus negotijs, à cõtractibus vſurarijs, & palliatis turpibuſque lucris abſtineant, ſub pœna excommunicationis quoties in horum aliquid ſcienter incurrerint, ſubeunda.

Et ne laici, ob pœnæ imparitatem de Eccleſiaſtica Iuſtitia conquærantur idcirco præſenti hac noſtra conſtitutione declaramus, quod ſi quis clericus, vel alia quæuis perſona Eccleſiaſtica, etiam regularis extra clauſtra contra laicum verba iniurioſa protulerit, vel eum aggreſſus fuerit, vel in eum manus violentas iniecerit cũ ſanguinis effuſione, vel ſine pœnis puniatur; à ſacris Canonibus inflictis, & etiam grauioribus arbitrio noſtro cum clericum oporteat eſſe non percuſſorem.

Quicunque Eccleſiaſticus, diu, noctuue, cum lumine vel ſine, in habitu clericali, vel aliter, per Ciuitatem, vel Diæceſim, ſolus vel cum cantoribus, ſerenatas, vel matinatas, vt vulgo dicitur, cantare, ſonare, aut cum cantoribus ire auſus fuerit, aureorum nummum decem pœna pro qualibet vice plectatur, & ad carceres ducatur; cuius pœnæ tertiam partem executoribus, vltra capturæ mercedem, tertiam accuſatoribus, reliquam pijs locis concedimus; Quam pœnam ſubire volumus

lumus item Eccleſiaſticos omnes, qui in laicorum conuiuijs canere, aut ſonare non erubuerint.

Quod Chriſtianos omnes maximè decet, hoc ſi ab Eccleſiaſticis viris ommittatur grauiſſima culpa non caret: omnes igitur Deum ſemper præ oculis habentes, qui diſperſit, dedit pauperibus, cibum nunquam capiant quin benedicant; cibo itidem ſumpto, largitori bonorum omnium Deo gratias agant.

Ne ſecum Domi fœminas etiam arctiſſimo conſanguinitatis, aut affinitatis vinculo coniunctas, aut cibi parandi, aut alia domeſtica officia præſtandi cauſa, aliaue cauſæ ſpecie, etiam ſi non pernoctabunt, vllus Eccleſiaſtici, ordinis homo ſine ſcripta noſtra facultate vllò modo habeat: quæ vltra ſex menſes niſi per nos confirmata ſit, nihil valeat. Qui contrafecerit vltra pœnas quas ſacri Canones & Cōcilia imponunt alijs etiam arbitrio noſtro mulctetur.

Eccleſiaſticus nullus partem domus etiam patrimonialis in qua habitat, locare poſſit cuiquam qui filias aut ancillas, aut alias mulieres ſecum habeat, abſque expreſſa noſtra licentia; multo minus vero eas mulieribus impudicis, & inhoneſtis locare poſſit, ſeu in emphyteuſim vllam concedere: qui contrafecerit, pretio, ſeu affictu Domus, ſeu

partis mulctetur; aliter nihilominus per nos, & pro personæ, & transgressionis qualitate puniendus, nam & ex hoc sanctum illum, & pijssimum Regem Iosiam in sacris litteris adeo legimus laudatum, quod destruxerit ædiculas effæminatorũ, quæ erant in Domo Domini: de ijs vero, qui Ecclesiasticas domos solo tantum pariete ab Altari Diuino disiunctas, fornicationibus, & impudicitijs, coinquinant per Ezechielem maximè Dominus conquærebatur, dicens: qui fabricati sunt limen suum, iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos; & murus erat inter me, & eos, & polluerunt nomen sanctum meũ: In quos egregius & sanctissimus Doctor Hieronymus inuehẽs dicebat, quid habitationis propinquitas iuuat, & interpositus dumtaxat paries inter cellam nostrã & Altare Domini, si tremendum ipsius nomen contaminamus, per ea quæ infra priuatos parietes facimus, & quæ turpe est eloqui. Hinc quæ in Ecclesiasticis Domibus peccando committuntur (cæteris paribus) multò sunt grauiora, quàm quæ alibi perpetrantur: & de his Dominus meritò dicere potest, quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?

Sacerdos nullus siue secularis, siue Regularis, qui in simplici aliqua Ecclesia, seu Oratorio ru-

rali deſeruiat; officium aliquod, aut ius Parochiale exercere, & ſibi vſurpare præſumat, abſque expreſſa noſtra licentia, & Parochi infra cuius Parochiæ fines id fecerit, conſenſu, neç audeat oblationes colligere, nec dies feſtos denuntiare, nec primitias etiam ſub nomine eleemoſynarum petere, nec in Eccleſia, nec foris, nec benedicere domos, nec proceſſiones cogere, ſeu facere; & quod ad tempus quo Miſſam celebret; in hoc cũ Rectore Parochialis Eccleſiæ conueniat, & diebus feſtis Rectorem ſi Miſſæ ſacrum canitur coadiuuet, & ſcholæ Doctrinæ Chriſtianæ, & Veſperis ſemper aſſiſtat.

Quæ Parochus infra annum Patres familias frequentius admonere debet.

P*Arochus qui erga omnes curæ ſuæ commiſſos ſollicitus eſſe debet; erga eos imprimis ſibi inuigilandũ ſciat, qui filios Deo potius quàm Mundo procreant: ſuggerat igitur ſæpius quòd ſicut vberrimum ab optima inſtitutione præmium paterfamilias capiet, quicunque liberos, familiamque ſuam ad Dei cultum, & ad pietatem & bonos mores inſtituerit; ita quicunque in hoc fue-*

rit ſegnior, acrius, à Domino Deo Zelote punietur.

Moneantur igitur patres familias, vt de ipſorum familiæ ſalute ſolliciti, caueant ne exemplo, aut verbo puſillis ſint offendiculo & ſcandalo Angeli enim eorũ Diuino ſemper adſtant conſpectui; quin potius tales ſe ijs exemplo oſtendant, quales familiaribus cohortationibus ſæpe curabunt, vt ij ſint quos domi ſuæ alunt.

Curent imprimis, vt in eorum familia nemo ſit ſiue filius, aut filia, ſiue ſeruus, aut ancilla qui Chriſtianæ fidei rudimenta non norit: Quam ob rem ſi qui ea minus norint, eos ad ſcholas Chriſtianæ doctrinæ feſtis ſaltem diebus tranſmittãt; quod ſi etiam numeroſiorem habuerint familiã, egregium pietatis opus fuerit, ſi domi etiam aliquem habuerint qui id charitatis exerceat, vt ignaros edoceat ex libello hac de re iuſſu noſtro nuper in hac Ciuitate ædito, quæ ſcire tenentur.

Vt omnes de familijs ſuis ſanctiſſima Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta frequentent.

Vt ſingulis diebus Miſſam audiant; nullo autem modo feſtis diebus, & Dominicis id ommittant: Quibus etiam diebus præter Miſſas, ad ſacras Conciones, lectiones, pias ſupplicationes, cæteraque Diuina officia, ac alia chriſtianæ chari-

tatis opera, accedant, vt quos dies ſibi præ cæteris voluit Deus eſſe dicatos, ipſi religioſius tranſigāt.

Abſtineant prædictis omnibus diebus a quouis opere ſeruili.

Ieiunent quibus diebus Eccleſia ſancta id faciendum præcipit, & vetitis omnibus cibis abſtineant, vt in vigilijs, & Quadrageſimæ diebus exceptis Dominicis.

Mortis ſæpè memoriam, ac vitæ breuitatem ſubditis ſuo regimini inculcent; ideoque, vt dum tempus habent, operentur bonum; præſertim vero cum Apoſtolica liberalitate, Diuinæ munificentiæ dona largius nobis communicantur ſacris Iubileis, aut Indulgentijs conceſſis; ea pro poſſe facere non ommittant, per quæ cæleſtes theſauros conſequantur.

Et quoniam non quomodocunque, ſed omni diligentia & animi contentione, Deo eſt inſeruiendum: Curent vt omnes de familijs ſuis, certis quibuſdam ſacris ſodalitatibus ſint adſcripti; præſertim vero ijs quæ in Sanctiſſimi Sacramenti, & glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ honorem ſub nomine Roſarij, vel aliàs ſunt inſtitutæ.

Neminem in familijs ſuis viuere patiantur, qui in Deum aus ſanctos ſit blaſphemus, periurijs aſſuetus, in loquendo procax, & impudi-

cus, inhonestis et corruptis moribus, qui aleis aut taxillis ludat, aut quomodolibet alios opere, aut verbo possit inficere.

Eos qui aliquid norint, & lectione oblectentur, adhibitis pijs aliquibus libris, etiam proprijs expensis in hoc instituāt; nullatenus verò vetitos, aut obscœnos libros præ manibus habere patiantur; diffundit enim hæc lectio mortiferum virus, & acutissimis quibusdam iaculis legentium plerunque animas confodit; & miram morum, institutionisque corruptelam inducit.

Scrutentur sæpius per annum patres familias, domos suas; & de singulorum moribus, vitæ instituto, quotidianis exercitijs, sacramentorum frequentijs, familiaritatibus, conuersationibus, aut alijs in id genus inquirant, quò facilius sibi subditos in viam mādatorum Domini dirigant; & incuria sua ex illis nemo depereat.

Hæc vero ipsa omnia & singula quæ de Patribus familias sunt dicta, de mercaturam exercentibus etiam erga eos quos in officinis habent adiutores, socios, aut famulos, sæpius Parochi, omni charitate intelligenda esse docebunt.

Hæc & alia huiusmodi frequentius infra annum frequenti populo Parochi suadebunt: Id ipsum etiam Diuini verbi Prædicatores, & Con-

feſſarij incudicabunt tum publicis in concionibus cum in priuatis cohortationibus ; vt cooperatores omnes Domini ſimus, & proximorum noſtrorum animas lucrifacere Chriſto valeamus .

De Sanctiſſimo Miſſæ ſacrificio .

SAcroſanctum Miſſæ ſacrificium quo Dominicæ Paſſionis, ac Redemptionis noſtræ myſteria ad viuum repræſentantur, cum ad Dei honorem & pro acceptis beneficiys gratiarum actionem in Eccleſia Catholica continuum & quotidianum, tùm pro viuis tùm pro defunctis ſit inſtitutum omni diligentia curandum eſt, vt à Sacerdotibus quò frequentius, ac maiori animi puritate fieri poterit offeratur .

Quicunque ergo ad ſacrum presbyteratus ordinem ritè & debitè fuerit promotus infra menſem primam ſuam Miſſam celebrare teneatur : Eam verò non niſi de licentia noſtra celebret, nec prius quàm à noſtro Ceremoniarum Præfecto diligenter fuerit examinatus, & quod ad Ceremonias attinet approbatus .

Infra primæ Miſſæ celebrationem caueat quilibet Sacerdos ne vllam Auaritiæ (quæ malorum omnium eſt radix) ſpeciem præbeat, eleemoſyna-

rum seu oblationum tacita vel expressa postulatione, quo circa nemini sacerdoti, siue in prima sua, siue in alijs deinceps celebrandis Missis liceat sese populo vllis verbis commẽdare; grauissimum siquidem delictum grauissima plectendum pœna erit, cum scelus hoc abominatio desolationis stans in loco sancto esse videatur; & abusus sit turpissimus sacratissimi sacrificij ad quæstum. Quo tamen aliqua ex parte populorum satisfiat pietati: liceat sacerdoti primam missam celebranti, seu aliàs Parochis festiuis diebus, ubi id moris est, spõte oblata à Christi fidelibus, intra tantũ Altaris Cancellos recipere; nullatenus verò per Ecclesiam vagando. Quo tempore interdicimus ne sacerdos ad deosculandum patenam populis porrigat, sed pacis dumtaxat Imaginem, qualem in hunc vsum Parochus quisque ex auricalco saltem, aut ære habeat, aut crucem Manipuli, vel stolæ.

Quod Apostolus Corinthios hortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant, & Dominus seruũ qui talentum acceptum sudario inuoluerat, in tenebras exteriores detrudi mandauit: id sacerdotibus maximè cauendum est ne tantam gratiam in vacuum receperint, & talentum hoc quo non modo suas, sed & aliorum animas lucri facere possunt, abscondant. Nec vero leuis eorum culpa

eſt qui ſacerdotes cùm ſint aut nunquam, aut perrarò Miſſam celebrant; Diſtrictè igitur iuxta ſacroſancti Concilij Tridentini Decretum præcipimus ſacerdotibus omnibus nobis quomodocunque ſiue ratione beneficij, ſiue habitationis, ſiue originis ſubiectus, quatenus ſingulis ſaltē diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus miſſam celebrent: Parochis verò præter ſupradictos dies, ter ſaltem in hebdomada in proprijs Parochijs, & non in alienis Eccleſijs, niſi reliquis tribus hebdomadæ diebus, ſub pœnis arbitrio noſtro incurrendis per ipſos quoties de huiuſmodi ommiſſione ipſorum nobis conſtiterit.

Miſſam celebraturus ſi ſacerdotis copiam habuerit quotidie peccata ſua ante celebrationem confiteatur; memor quod ſepties in die cadit iuſtus; & quòd venialium neglectus facile ad mortalia nos inducit: ſi vero Confeſſarium ad manus non habuerit, ſemel in hebdomada, aut ſaltē quoties in peccato mortali ſe conſtitutum perſenſerit, hoc facere omnino curabit, vt puro corde cum timore, & tremore ad tantum miniſterium accedere poſſit: Quod ſi vrgente aliqua neceſſitate, non confeſſus Miſſam celebrare fuerit coactus, cùm primum poterit poſt celebrationem confiteatur.

Matu-

Matutinum cum laudibus, et primam saltem ante Missæ inchoationē recitabit. Missam prius cursim saltem perleget, & suis locis Missalis signacula apponet, ne Missam celebrans errans legendo, aut diutius Missale euoluendo populo risui aut tædio sit. Manus abluet, aliquantulum sub silentio orabit in loco ad id in Sacristia qualibet, specialiter deputato: Vestibus sacris non pannosis, aut laceris, sed decentibus, & coloris tempori, seu Missæ congruentibus, se induet. Confabulationes, & colloquia in Sacristia omninò fugiet.

Sacristiam egrediēs bireto clericali capiti imposito, calicē manu gestans, non currens, sed graui & maturitatis pleno incessu præcedente clerico ad Altare procedat. Ante Sacratissimum Sacramentum transiens genuflectat, tecto tamen capite ne dum id velit detegere, patenam, aut Calicis operimenta cadere (quod periculosum est valde) contingat. Ad Altare perueniens, Calicem deponat, Missale aperiat, nec ad imos Altaris gradus Missam inchoaturus prius descendat quàm Minister candelas accenderit, & ipse pileum lineum, seu sericum deposuerit.

Missam nec nimis festine, nec plus æquo lentè pronunciet; reliquas vero Cerimonias, ac Crucis expressiones caueat, ne nimia celeritate ridiculas

reddat: ea demum omnia accurate obſeruet quæ nos in vnum Collecta huic Synodo ad finem iuſſimus addi.

Caueat quilibet Sacerdos, vt non niſi ieiunus celebret & peracta digestione, nec absq; præſentia ſaltem duorum: Non ante auroram niſi in nocte Natiuitatis Domini, nec poſt meridiem, niſi in die Sabbati Sancti paulò poſt tamen: non ſub dio in locis Deo non conſecratis, aut in Eccleſiis pollutis; vel in priuatis domibus, matrimonij infirmitatis vel quauis alia de cauſa, ſine expreſſa noſtra licentia in ſcriptis habenda ſub poena excommunicationis ipſo facto, etiam per Regulares, ſi contrafecerint, incurrenda.

Nec mirãdum eſt de grauitate pœnæ; & quòd delictum huiuſmodi in hoc pluribus alijs grauiſſimis æquiparetur; quibus poena ſimilis imponitur; Satius enim eſt (inquit lex Canonica) Miſſam non cantare vel audire, quàm ijs in locis id facere vbi fieri non oportet: Quis enim dubitat antiquos illos ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres plus dilexiſſe quàm nos Redemptorem noſtrum, eiuſque aſpectu delectatos magis fuiſſe & eius maiori flagraſſe deſiderio? & tamen non niſi in Eccleſiis illum videre, ſeu (ſi ſacerdotes erant) in eis tantummodo, de coelo illum ad manus proprias, ad-

mirandis illis Consecrationis verbis aduocare audebant. Nos vero ad cubicula & nostras priuatas Domos illum quotidie trahimus, aut desidia quadam ad Ecclesiam eundi, aut superbo quodam fastu; quasi iam parum sit, solis hominū obsequijs coram hominibus venerari, nisi etiam inter nostram Mundi pompam connumerare liceat, quòd adhuc ipse filius Dei ad domos nostras nobis ministraturus accedat; ad domos (inquam) ludis, blasphemijs, ebrietatibus, ac luxuriæ actibus obscoenis sæpissimè violatas, cùm Ecclesias sanctas Dei, sola vnius Coniugalis actus pollutio sine peccato facta contaminet. Sanè si quis nobis honorabilior ad nos accedere velit; nobis id maximo dedecori adscribimus, nisi nos eundem præueniamus, ad eius hospitium euntes: Quem uerò credimus Deum, quem confitemur Redemptorem, quē tremendum Iudicem expectamus Angelicis stipatum choris, ad sordida nostra receptacula nō modo venire permittimus, sed (si fas est dicere) compellimus. Vt autem magis pudeat Christianos tantæ erga Redemptorem suum irreuerentiæ legant Aemilium Probum in vita Alcibiadis, scribentem aspersum infamia, quòd in domo sua facere mysteria dicebatur; quod nefas erat more Atheniensium. Et si inter Ethnicos qui lapidibus

& demo-

& demonibus immolabant pecudes, nefas eſſe hoc domi agere perpenderint; quàm ſit indecens intelligant, Omnipotenti Deo Patri, & Creatori omnium Vnigeniti filij ſui Saluatoris noſtri Corpus, & Sanguinem virgineis viſceribus compactum, cum ipſa Diuinitate vnitum in impuris domibus offerre. Ideoque caueant hoc Sacerdotes omnes; neque celebrent præterea in atrio, vel ſub porticibus Eccleſiæ, aut ſuper Altari non conſecrato, aut enormiter fracto, vel ſupra ſepulturas mortuorum, niſi in ea diſtantia ab eo, quæ in libello Ordinationum a nobis nuper ædito, eſt præfixa; nec ſine tribus tobaleis mundis ſuper Altari; non in calice fracto, vitreo, ligneo, æreo, aut ex auricalco, vel immundo. Patena Calicis non vtantur niſi ſaltem argentea, ſed deaurata & nitida; non autem maculis & rubigine aſperſa; nec corporalibus niſi mundis & nitidis: Aceto, aut vino turbido, nec muſto recentiori; nec niſi albo vino in Miſſa vtantur.

Moneatur Populus frequenter vt Dominicis ſaltẽ diebus Miſſam in propria Parochia audiat ne feſtornm aut Ieiuniorum quæ in hebdomadam inciderint ignorantiã vllatenus queat prætẽdere.

In Cathedrali Eccleſia noſtra Dominicis diebus poſt Euãgelij lectionem è ſuggeſtu ad id deputato,

tato, qui Diaconi loco celebranti miniſtrat, alta voce populo publicet, Vigilias, dies feſtos, & ieiunia, quæ ſequenti hebdomada ex Sacroſanctæ Eccleſiæ ritu, atque inſtituto agi celebrarique debēt, & reliqua item omnia quæ noſtro iuſſu ſtatutis quibuſdam diebus promulganda erunt populo denunciet. Hoc ipſum faciat quilibet Parochus infra Miſſarum ſolemnia frequenti populo. ſed & præterea Matrimonia contrahenda, officia à Mortuis recitanda, Indulgentias & alia huiuſmodi enunciet.

Parochi inprimis rurales, non ſemel atque iterum, vbi opus eſt, ſed ſæpius populum publicè & priuatim moneant, ac præterea cum ſingulis patribus familias omni Charitatis officio agant, ut ſeruos, famulos, bubulcos, aut quos in paſcendis beſtijs occupant, diebus feſtis iubeant intereſſe Miſſæ ſacrificio.

Quamdiu Miſſa celebratur candelæ integræ, vel ſaltem adeo longæ accendantur, vt totam Miſſam & amplius durent, ne qua ſordidæ auaritiæ ſuſpicio populis inijciatur.

In Maiori Miſſa quæ in noſtra Cathedrali Eccleſia celebrabitur, ſeu in quotidiana Miſſa à Parocho in propria Eccleſia celebrata cū Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuſtollitur ſignū campanæ

panæ ſono detur, cuius ſoni ſignificatione fideles qui in Eccleſia non adſunt admoniti ad tanti, tamque magni myſterij, ac beneficij recordationem, animum adijcere atque excitare poſſint.

In quauis Parochia Ciuitatis ſiue Diœceſis nocte præcedente Natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in memoriam tanti miſterij, & beneficij media nocte Nocturnis de more abſolutis, ſtatim Miſſarum ſolemnia celebrentur: Parochi in hoc negligentes, arbitrio noſtro punientur.

Feſtiuis diebus, & quibus Patroni cuiuſuis Eccleſia, ſeu Sancti Titularis natalis agitur dies, in ea ipſa Eccleſia Miſſa celebretur, aſſiſtentibus Diacono, & Subdiacono ſacris veſtibus indutis, & miniſtrantibus. Hoc ipſum quotidie in Miſſis Conuentualibus in Cathedrali Eccleſia noſtra inuiolabiliter obſeruari mandamus, ne ſcilicet dicta Miſſa Conuentualis ſine Diacono, & Subdiacono paratis celebretur; grauiſſimis arbitrio noſtro pœnis incurrẽdis per eos ad quos eo die miniſtrare & aſſiſtere, vt ſupra dictum eſt, pertinuerit: Punctatori tamen etiam præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis, & ſoluendi pœnam omnem de ſuo; vt eo die non exequentes in hoc officium ſuũ pro duplici errato ſi de numero participantium fuerint, in tabella punctationum annotet. Indi-

gnum est siquidem & indecorum in tam insigni, & frequenti Ecclesia Maiorem Missam Conuentualem, sine ministris opportunis celebrari.

Missã celebrare nulli Sacerdoti Vago, & incognito, siue Regulari, siue aliàs permittatur, non prius visa licentia manu nostra subscripta, quòd si quis in Ecclesia sua alicui id permiserit, in eum acriter procedetur.

Licentia verò huiusmodi Missas celebrandi, non vltra sex menses valeat, sed quouis finito semestri renouetur.

Quibus in Ecclesijs Altaria existunt, seu Capellæ cum onere certum numerum Missarum in eisdem qualibet hebdomada celebrandi, vt facile cognosci liceat, an sacerdotes ad id obligati, muneri suo satisfaciant, præter cæteras animaduersiones: ipsi etiam Ecclesiarum Rectores, alijue ad quos munus hoc spectat librum conficiãt, curentque vt in eo, ipsis præsentibus eiusmodi sacerdotes siue Altarium & Cappellarum Titulares, siue substituti sint, cùm ab Altari redierint, manu sua, & diem quo in illis celebrauerint, & nomen suum notent.

Quòd si Rectores, Sacristæ, alijve ad quos hoc pertinet, in eo negligentes fuerint, quod Sacerdotes Missarum celebrationi debitæ in eorũ Eccle-

ſijs non ſatisfacientes ad nos quàm primum non detulerint mulctentur his ſumptibus, qui ſatis erunt ad eleemoſynam Sacerdotibus totidem Miſſas celebrantibus diſtribuendam, quot ij Sacerdotes, quorum hoc celebrationis munus intererat, celebrare prætermiſerint.

Quandiu Miſſæ celebrantur, in Cathedrali Eccleſia noſtra Sacriſta Clericos deputet qui neminem per Eccleſiam mědicare permittant, quod non ſine Miſſam audientium perturbatione: & diſtractione fit: Idipſum nec quandiu Diuina officia celebrantur, aut Concio habetur: Idem curent Parochi in ſuis quiſque Eccleſijs.

Nullus Sacerdos infra Miſſam ſeipſum aut alios populo commendare ad eleemoſynas obtinendas permittatur: eos ſolum ad hoc commendare liceat qui ad id à nobis fuerint commendati, & pauperes infra Parochiæ fines commorantes.

Nullus Sacerdos, licet Parochus, vlla de cauſa, etiam à Superiore Monaſterij habita venia, ſine expreſſa noſtra licentia in Monialium Eccleſijs Miſſam vllo vnquam die celebrare audeat ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & alijs etiã grauiſſimis arbitrio noſtro: Regulares vero in celebratione Miſſarum in dictis Eccleſijs & acceſſu ad monialium Monaſteria ob-

seruent quæ in cõstitutionibus Syxti Quinti Pontificis Maximi, & decreto Sacræ Regularium Congregationis præscripta sunt.

Parochus nullus diebus festis de præcepto aut Dominicis, extra propriam Ecclesiam Missam celebret, sub pœna suspensionis à Diuinis per tres menses: quam item pœnam incurrant qui auaritiæ aut alia de causa contra Romani Missalis & Sanctorum patrum sanctiones festis & Dominicis diebus votiuas Missas, aut defunctorum, aut alias præter eam quæ festi aut Dominicæ propria in Missali habetur, celebrauerint: Cui pœnæ item subiacere volumus, eos qui in diœcesi ante, vel dũ in maiori Parochiali Ecclesia celebratur, in Oratorijs, vel Confraternitatibus, absque Parochi licentia celebrant.

Qui pro Votiuis aut Defunctorum missis eleemosijuas à populis sponte oblatas acceperint; meminerint se sacrilegij reos coram iustissimo Iudice cuius oculi corda scrutantur & renes, fore nisi offerentium intentioni satisfecerint: caueãt ideo ne tẽporalibus lucris inhiantes sempiterna amittant. Huiusmodi vero eleemosinas nullo modo petant, aut procurent, tacite nec expresse, neq; seriò neque per iocum.

Parochi festis potissimum & Dominicis die-

us, hora competenti Miſſam celebrent; qua in e populi, qui ad eam conuenire ſolet, eorum inrimis, qui longius ab Eccleſia abſunt rationem abeat. Vbi populus conuenerit, & Miſsæ hora uerit, nullum diutius expectent, cùm non deceat nius cauſa plures e populo, aut Miſsæ ſacrificio arere, aut non ſine graui tædio morari, nec id fe è ſine detractionibus & murmurationibus, quāloque etiam maledicentijs & blaſphemijs quàm lures ferre ſoleant.

Quandiu Miſsæ aut diuina officia celebranur laïci prope altare, vel in choro iuxta canonias ſanctiones ſtare nō debent. imitatores in hoc ximiæ illius & nunquam ſatis commendatæ pie atis Theodoſij Imperatoris, de quo hiſtoria Eccle iaſtica ſic refert. Cùm vero dona (vti ſolebat) btuliſset Theodoſius, intus prope Cancellos manſit. At rurſus magnus ille Ambroſius non conticuit quidem, ſed locorum differentiam eum docuit. Ac primùm ſciſcitatur; ecquà re egeret. Et cùm reſpōdiſset Imperator, ſe expectare Diuinorum myſteriorum perceptionem, ſignificauit illi per primarium Diaconum qui ei miniſtrabat; ad loca interiora ſolis Sacerdotibus aditum patere, eademq; alijs omnibus inacceſsa eſse, nec debere tangi; iubet igitur, vt exeat, & cum reliquis lai-

cis consistat: nam purpura (inquit) Imperatores non Sacerdotes efficit. Quam admonitionem itidem excepit lubens Imperator fidelissimus; responditq; se non animi confidentia inductum mansisse intra Cancellos, sed hanc consuetudinem Constantinopoli didicisse. Quare habeo, inquit etiam pro hac medicina gratiam. Tantis & tam eximijs virtutis ornamentis enituit tum Episcopus, tum Imperator. Vtrũq; enim admiror; alterum propter ingenuum loquendi libertatem; alterum propter facilem obedientiam; & illum propter diuini zeli ardorem, hunc autem propter sinceram fidem: Imperator autem pietatis precepta quæ ab illustri illo Episcopo didicerat, etiã cum reuertisset Constantinopolim obseruauit. Nam cum diuino quodam festo ad Templum denuò veniret, statim vt dona sacræ mensæ obtulerat, exiuit. Atque cum Nectarius qui id tẽporis, illius Ecclesiæ Antistes fuit, rogaret, cur non maneret intus? gemens inquit: ægre tandem didici quid inter Imperatorem intersit & Episcopum; ægre tandem reperi veritatis magistrum: Nam solum Ambrosium noui Episcopum dignum eo nomine. Tantum commodi reprehensio a viro virtute præstanti adhibita, secum apportare solet.

Neminem ẽt interea permittant Rectores Ec-

cleſiarum ruralium, in quibus hac in re, vt plurimum grauius delinquitur permixtim inter mulieres eſſe aut confabulari, aut extra Eccleſiæ oſtium ſeu in ipſo limine, vel Altaribus, Baptiſterio, aut vaſi Aquæ luſtralis irreuerenter, & immodeſte hærere; ſi quos autem tales Miſsæ ſuæ adeſse conſpexerit, & moniti ſeſe non correxerint, a Miſsæ ſacrificio ceſset, vel ſi quis alius Sacerdos celebret, eũ Rector moneat, ut ceſſet niſi ad Canonem peruentum eſset ſub poena ſuſpenſionis ad arbitrium noſtrum.

In qua Eccleſia Miſsæ, aut Officia a Mortuis fiunt, ſiue Exequiæ, Eccleſiæ illius Rector Sacerdotem, aut Clericum nullum niſi ſuperpelliceo indutum & talari veſte in Coro canentibus; ſeu exequijs adeſſe aut de eleemosynis participare permittat, ſub poena nobis arbitranda, tam per ipsũ Rectorem quã per alios huiuſmodi Sacerdotes aut Clericos ſine ſuperpelliceo, veſte, et tonſura aſtãtes et canẽtes incurrenda: hoc idẽ a Regularibus qui capitulariter non acceſſerint obſeruari faciant.

Ne intra Miſsarum ſolemnia Parochi Sacerdotesve alij quidquam quod profanum ſit quodq; ad rerum huiuſmodi ennunciationem attineat de Altari populo edicant atq; emulgent, niſi conceſſu noſtro ſcriptis expreſſo.

De Ecclesijs quibuscunque in Ciuitate, seu Dioecesi.

ECclesia domus Dei, & orationis est; ideo nunquam satis ornari potest & excoli; cum Domum Domini deceat omnis & intrinseca, & extrinseca sanctitudo in longitudinem dierũ. Certe si celeberrimi illius Templi quod olim à Dauid adeo fuit optatum; sed quòd vir sanguinum fuisset ab ipso fieri noluit Deus postmodum vero à Salomone vnicum duntaxat in vastis illis Regionibus fuit constructum, ornatum splendorem, & cultum consideremus, in nobis maxime excitatur affectus gratiarum actionis, quod tam multas nos Christiani, vbique habeamus Ecclesias tanto digniores, quanto Christi Domini Dei viui, & veri viuum corpus & sanguis Arcæ illi ligneæ præstat. Quod si illud adeo affabrè, & perpolitè auro & gemmis erat ornatum; qualis Ecclesiarum nostrarum cultus esse deberet? Ergo ne habitabimus nos in Domibus auratis, & pictis, Ecclesia Dei vero rudis, & inculta permanebit? Hinc tam multa mala per Aggæum Prophetam olim comminata patitur Christianus populus: Vt igitur aliqua ex parte debito nostro satisfiat; quod ad Ecclesias attinet præter ea, quæ in ordi-

nationibus nuper æditis, de Altaribus & Sacriſtijs ſtatuta fuerunt, hæc etiam de nouo decernenda, ſeu partim innouanda cenſuimus.

Eccleſias nullas, ſeu Oratoria Parochi infra eorum Parochiæ fines, aut extruant; aut de nouo extrui à quoquam, non obtenta prius à nobis licentia, ac fabricæ faciendæ typo ſeu forma patiãtur.

Eccleſiarum omnium ruralium parietes, ſiue à tergo, ſiue ab vtroque latere, extrinſecus rubeo colore pingantur: campanilia itidem: In frontiſpicio vero Eccleſiæ in ſuperiori parte oſtij pingatur imago Sancti vel Sanctæ, in cuius honorem Eccleſia illa dicata eſt; cum inſcriptione Eccleſia Parochoalis: ſiue oratorium ſub inuocatione Sancti, vel Sanctæ. N.

Oratoria omnia campeſtria infra mẽſes duos: Cancellis ad minimum claudantur, & clauſa ſemper, præſertim vero noctis tempore teneãtur, & ſi nimia ægeſtate refici non poſſunt ſolo æquentur erecta ibi Cruce vel marmorea, vel lignea; Idque Parocho incumbat, vt fieri curet; eorum expẽſis ad quos quomodolibet Oratoria dicta pertineant, & lapides ac reliquã materiã in vſum Parochialis Eccleſiæ ad formam Concilij Tridentini applicamus.

Pictores & Sculptores non prius in Ecclesijs,

aut Oratorijs Ciuitatis, & Diœcesis imaginem aliquam pingãt aut sculpant, quam nobis eam in papiro saltem expressam ostendant: Neque Ecclesiarum Rectores in Ecclesijs suis quicquam horũ fieri patiantur sub pœna scutorum viginti qualibet vice qua contrafecerint, eis auferẽdorum, nisi prius visa approbatione nostra in scriptis dictæ imaginis, seu sculpturæ.

Sedilia hominum siue mulierum in Ecclesijs non tolerentur, quæ sunt impedimento. non enim Cathedris, & thronis replendis, sed hominibus ad sacra admittendis constructæ sunt Ecclesiæ.

Quod ad suppellectilem attinet Ecclesiarum, ea omnia infra tres Menses fiant, quæ in ordinationum libello sub Rubrica de sacristijs sunt annotata; nisi iustis de causis dilatio à nobis in scriptis fuerit obtenta.

Ecclesiarum omnium ostia ante primam Noctis horam semper claudãtur ne nocturno tempore Domus Dei fiat spelunca latronum, aut sentina & receptaculum vitiorum in grauissimam Dei offensam.

In solemnitatibus, aut ijs festis diebus quibus sancti Titularis Ecclesiæ, memoria celebratur, curent Parochi assiduis exhortationibus vt populus a tripudijs, & choreis abstineat præsertim vero

quo tempore diuina officia celebrantur, doctrinaque Chriſtiana docetur: Eccleſiaſtici vero tam ſeculares quam Regulares non audeant tripudijs, aut choreis vllibi, etiam in priuatis domibus factis intereſſe ſub pœna excommunicationis, & alijs arbitrio noſtro.

Oblationes quæ fiunt cuilibet Eccleſiæ, rerum aut imaginum, ex auro, argento, aut cera, ſiue veſtium ex panno aut lino, aut tabularum, depictarum (cuiuſmodi voti cauſa muris ſolent appēdi) nullo modo inde amouere, aut alios in vſus conuertere, nec quidem etiam confractas vllus niſi conceſſu noſtro auſit, ſub excommunicationis pœna; demptis tantum facibus aut candelis cereis, quæ ad vſum Eccleſiæ offeruntur, & monetis aureis ſiue Argenteis in certos uſus, iuxta diſpoſitionem iuris communis conuertendis.

De Reliquijs quæ in ordinationibus ſtatuta fuere ſeruentur.

Prope Eccleſiarum oſtia intrinſecus à dextro latere, Vaſe marmoreo Aqua benedicta aſſeruetur; doceantque Parochi frequenter; Populum, ſtatim ac Eccleſiam ingreditur, detecto capite aqua benedicta ſeſe expiare cuius in primis vſus ad venialia errata delenda confert, tum flexis genibus ſacroſanctam Euchariſtiam adorare; ac

demum

demum in domo Domini esse prout Dei decet maiestatem eo potissimo loco supplices libellos nostros acceptantis & praeces nostras audientis.

Curent Ecclesiarum quarumlibet Rectores, vt ad formam constitutionis Leonis Decimi in Concilio Lateranen. & decreti Conc. Tridentini, & Bullæ Pij Quinti Pontificis Maximi; de anno 1566. editæ in Ecclesijs congrue, & vti Domum Dei decet, omnes versentur; ad eas humilis sit, & deuotus ingressus, in eis quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes duobus genibus flexis Sanctissimum Sacramentum adorēt, ad nomen Iesu Christi Domini nostri cum exhibitione reuerentiæ, caput inclinent: nullus in eis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat impetumve committat; cessent vana, fœda & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & alia quæcunque quæ Diuinum officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias etiam Regularium deambulare audeat, siue præsumat, dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia Diuina officia, neq; altaribus & vasi acquæ sanctæ et baptisterio hærere. Qui vero prædicta petulanti animo contempserint præter Diuinæ vltionis acrimoniam, Ecclesiæ (qua se reddiderunt indignos, ingressu ipso fa

cto cenſeantur interdicti.

Qui vero in Eccleſijs cum mulieribus impudicis, colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, excõmunicationis laqueo illico innodatus exiſtat, demonibus ipſis deterior qui eò loci credunt, & contremiſcunt. & ne qua ignorantia quiſpiam excuſetur; Parochi omnes prima qualibet cuiuſuis Menſis Dominica infra Miſſarum ſolemnia, hoc grauibus verbis populo indicent. Diuini etiam verbi concionatores id ſæpius auditoribus ſuis inculcent. Qui vero Eccleſiarum Rectores, Vicarij, Sacriſtæ, aut Oſtiarij contrafacientes nobis minime detulerint infra dies duos a commiſſis exceſſibus computandos, aureorum duorum pena mulctentur.

Eccleſiarum Rectores ſiue ſeculares, ſiue Regulares (in quos etiam, hac in re nobis & locorum ordinarijs Pontificia præfata conſtitutione ius eſt tributum) pauperes mendicantes ſeu eleemoſynas petentes per Eccleſias tempore Miſſarum; prædicationum aliorumque Diuinorum officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valuas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Rectoribus Eccleſiarũ inſligẽda pro qualibet uice niſi eos eijci curauerint. Regulares vero dictis poenis in dicta Bulla contentis ſubijciantur. Neque vero per hæc

Pauperibus derogari quicquam volumus, quibus quicquid fit, Christo Domino fit; sed, cum à nobis ipsis prima charitas incipere debeat; cauendum est, ne vt ipsis benefaciamus, à Diuinis peragendis aut audiendis distrahamur. sed & ex Actis Apostolorum ineunte Ecclesia ad portam Templi, Speciosam pauperes stipem emendicabant.

Baiuli, aut qui in cistis seu supra humeros onera quæuis deportant, nullo modo per Ecclesias, vt breuius iter faciant transire audeant.

Noua Miracula Nullus in Ecclesijs seu alibi, absq; nostra licentia, sub excommunicationis pœna publicare audeat, prout nec indulgentias, nisi à nobis aut Vicario nostro subscriptas.

Ecclesiarum Rectores Ecclesiasticorum prædiorum arbores, nisi quæ cęduæ sint ne cedant aut eradicent sub poena nummum aureorum quatuor & amplius arbitrio nostro, pro quauis arbore quam inciderint: si tamen vsu venerit, vt alias arbores non cæduas vel ad Ecclesiam, vel ad Ecclesiasticas ædes sarciendas, restituendasve, aut aliam ob causam cœdi oporteat tunc facultate prius a nobis scripto impetrata, id ipsis facere liceat.

Quoniam grauissimo piaculo ij tenentur obstri

cti qui bona quæuis cuiuſuis generis exiſtant ad Eccleſias, & loca pia ſpectantia per uim aut fraudem, & contra ius detinent, aut vſurpant; idcirco vt tanto morbo occurramus; cuilibet Parocho ſub pœnis grauiſſimis præcipimus, vt qualibet prima Dominica Aduentus & tertia Quadrageſimæ populo infra Miſſarum ſolemnia frequenti publicent edictum ſeu decretum Concilij Trid. hac de re latũ ſeſſ.22. cap.11. etiam in ſecunda Dominica aduentus & quadrageſimæ decretum eiusdem conc. Trident. ſeſſione 25. de refor.cap.12. de ijs qui decimas non ſoluunt vulgari lingua ad calcem præſentis libelli adnotata.

Legata quæcunque pia Ecclesijs facta; ipſarũ Eccleſiarum Rectores infra quindecim dies, à legati conſtitutione numerandos nobis denuntiare teneantur; curentq; vt idem præſtetur ab ijs, ad quos delegatorum inſtitutione notitia deuenerit.

Vt debitus honor in Ciuitate Cathedrali noſtræ, in Dioceſi vero Matricibus, & Parochialibus, Ecclesijs (vt par eſt) deferatur; ſtatuimus, quod nemo in die Sabbati Sancti ad Miſſam campanam pulſare præſumat antequam in Cathedrali Eccleſia noſtra, vel alibi per Dioceſim in maiori ſiue Matrice aut Parochiali pulſata fuerit; ſub

pœna ſcutorum trium arbitrio noſtro applicandorum, per Eccleſiarum Rectores, vel illorum, cappellanos qui campanas pulſauerint, vel pulſari permiſerint, eo ipſo incurrenda.

De ſacramentorum adminiſtratione.

SInt Parochi ſolliciti, ac prudentes in adminiſtrandis ſacroſanctis Sacramentis populis ſibi commiſſis, & eorūdem efficaciam, ac virtutem doceāt, vti loco ſuo in Cathechiſmo Romano continetur & caueant ne culpa ſeu negligentia ſua vllus paruulorum ſine Baptiſmo, nec adultorum ſine pœnitentiæ ſacramento, ſacro Viatico, extrema vnctione, cōmendationeque animæ, cum ſolitis præcibus, & pijs cohortationibus decedat.

Sacramenta quæ Diuinæ gratiæ inſtrumenta ad ſanctificandas animas à Chriſto Domino inſtituta ſunt non ſolum purè, ſancte & Religioſe tractent; verumetiā ritus & ceremonias teneant atque adhibeant quæ in illis adminiſtrandis ſanctæ Eccleſiæ uſu atque inſtituto comprobatæ ſunt. Vt vero vna ſit & eadem certiſſima rituum, ceremoniarumque regula, qua in eorum ſacramentorum adminiſtratione omnes Ciuitatis Ferrariæ, & Diœceſis Sacerdotes vtantur librum de Sacra-

men-

mentorum ritibus quam primum in lucem ædi cu rabimus, ad cuius libri præſcriptum omnes ita ſe inſtituant, vt ceremonijs & ritibus eo libro traditis vtantur, neque vllis præterea alijs: Ideòque menſe poſtquam hic ipſe liber æditus erit, omnes Parochi apud ſe illum habeant.

De Baptiſmo.

DE Baptiſterio ea omnia ſeruētur quæ in Ordinationibus æditis ſunt præſcripta.

Et quoniam Baptiſmi Sacramentum ianua ſalutis eſt, & ſuper cætera omnia imprimis neceſſarium: ideo Parochi infra annum ſæpè populos moneant in neceſſitatis caſu hoc eſt vbi ſacerdotis vel Diaconi, aut Clerici copia haberi non poſſit, & infans in vitæ periculo conſtitutus ad Eccleſiam deferri nō queat, licere cuique, immò quemque ſub peccati mortalis reatu teneri ad Sacramentum prædictum baptiſmi infanti conferendum; modo ordo ſeruetur; ne ſcilicet mulier præſente viro, aut laicus præſente Eccleſiaſtico id cōferre audeat: doceat iccirco materiam eſſe debere elementarem aquam, & formam verborum ſaltem italico idiomate: Io ti battezzo in nome del Padre, & del figliuolo, & dello Spirito Santo.

Amen; adhibita intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Quæ in Catecumeno, siue Rituali Sacramentorum per nos ædendo quod ad ceremonias attinet, præscribuntur, ea adamussim seruentur.

Nemo ēt Sacerdos (extra periculum repentinæ mortis) infantes extra Ecclesiam Parochialē, nec etiam in alijs Ecclesijs baptizare audeat, & ad effugienda varia pericula, vltra octo dies infantes sine baptismo domi non teneantur, sub pœna excommunicationis, absque nostro concessu.

Parochi diligenter admodum obstetrices examinent, num baptizare norint; & si quas id minus scire compererint, imposita eisdem excommunicationis pœna ab eo officio in posterum nostro nomine abstinere precipiant.

Qui è Sacro fonte, aut Chrismatis Sacramento infantes siue prouectioris ætatis confirmatos tanquam patrini leuaturi accedent; non passim omnes admittantur, nisi ij sint qui quod publice Deo promittunt, exequi possint, & valeant: Inconfessi, & qui eo anno sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non sumpserint; publici blasphemi, & concubinarij, excommunicati, Mimi, & histriones, et huiusmodi infame genus hominum, qui simbolum fidei, Decalogi, et Ecclesiæ precepta,

ora-

rationem Dominicam, & Angelicam ſalutatio-em non norint, nullatenus ad tantum munus à arochis admittantur, quod ſi ſcienter ſecus fece-int ſciāt ſe grauiſſimas pœnas à nobis etiam ſu-ituros; præter quam quod de eorum manibus il-rum ſanguinem iuſtiſſimus iudex expoſcet, qui idium aut impiorum huiuſmodi patrinorum ulpa & negligentia perierint.

Quæ de compatribus dicimus eadem omninò iam in comatribus examinandis ſeruanda de-rnimus.

Poſt Baptiſmum infantum moneat Parochus raui, & ſuccincto ſermone præfatos compatres, comatres, quænam eorum ſint partes erga in-ntem pro quo apud Deum fideiuſſerunt.

Moneat etiam eo tempore diligentiſſimè Ob-etrices, vt parētes infantis edoceant, ne per an-um infantulum, ſeu infantulam, ſecum in cubi-niſi in uimminea aut lignea ciſtella, quā cunel-m vocant retinere præſumant, ad vitandum ffocationis periculum ſub excommunicationis ena ipſo facto incurrenda.

Quandiu infantes è fonte, aut Criſmate leuāt trini moneantur per Parochum arma depone-, et omni Chriſtiana pietate, ac humilitate tan-muneri coram ineffabili Deo operam dare: Et

comatres similiter memores sint, quia si vbique vanitas ab ipsis vitari debet in Ecclesijs certè maximè, & dum sacra tractantur.

Moneant item Infantum parentes, & patrinos, ab obstetrices, quo tempore eos ad Baptismum deferunt, vt pompis omnibus, & vanitatibus abstineant.

Pro Baptismi Sacramento, nec tacitè, nec expressè quicquam expostulent; nec ea de causa peracto Baptismo, infantem super Altari ponant ad redimendum; qui secus fecerint, vt pecunia eorum sit ipsis in perditionem, ac Simonis culpæ communicantes, eiusdem etiam punitioni subiaceant excommunicationis pœnam ipso facto incurrant.

Diligentissimè in libro in folio Corio, aut pergameno cooperto baptizatorum, & eorum parentum, ac patrinorũ nomina, & cognomina diem, & locum & baptizantem describant, vt alibi est præfixum.

Et quoniam Apostolicæ sedis indulto Cathedrali nostræ Ecclesiæ præter cætera, hæc quoque priuilegij prærogatiua concessa est, vt in Ciuitate Ferrariæ, in nulla alia Ecclesia, præterquam in ipsa baptismi Sacramentum administretur: Iccircò districtè inhibemus omnibus, & singulis

Eccleſiarum quarumcumque etiam Regularium, in Ciuitate exiſtentium Rectoribus, ne de cætero audeant in Eccleſijs ſuis baptizare, ſed allatos infantes, aut infantulas ad Cathedralem Eccleſiam tranſmittant; ſub pœna arbitraria quoties huic noſtro Decreto immo uerius Apoſtolicæ conceſſioni contraire præſumpſerint.

Id propterea Parochis omnibus curæ erit, crebro vt populos ſuos admoneant in Ciuitate, ne filios aut filias quas pro tempore ſuſcipient, aliò baptiZandos mittant aut deferant, quàm ad ſupradictam Cathedralem Eccleſiam.

Vaſcula ſacri Chriſmatis, & oleorum ſacrorũ ita bombacio intrinſecus munita ſint, vt ne quid ſacri olei inde effluere vllo modo poſſit, cum circunferuntur.

Parochi laicos homines aut Clericos ſacris ordinibus non initiatos, non mittant quibus ſanctum oleum, & Chriſma in hebdomada ſancta ad ſe deferendum detur.

De confirmatione.

D*E confirmationis Sacramento, & populorum admonitionibus, & ad illud hortationibus, nec non ac de libro confirmatorum ea fiant*

quæ hac de re alibi in hac Synodo sunt descripta.

Confirmationis Sacramētum licet ad salutem singulis minimè sit necessarium, in vniuersum tamen ad Ecclesiæ Sanctæ integrum corpus ritè constituendum præcipue necessarium esse dignoscitur: maximè tamen prouectis ætate, militiam aduersus Principes Mundi huius, & spiritualia nequitiæ in cælestibus ingredientibus prodest; vtpotè quod ideo Confirmationis nomen obtinuerit ab effectu, quod hominum mentes & in bono confirmet, & intrepidas ad colluctandum accendat. Pluries ergo Parochi infra annum; potissimum vero Dominica immediate antecedente, & totos illos dies ante solemnitatem Sāctissimæ Pentecostes subditos suos de sacramenti huius eximijs fructibus, ac præcipuis spiritus sancti Charismatibus quæ per id conferuntur, edocebunt; omnesque qui id hactenus non susceperint ad idem ea qua decet animi pietate de manibus Episcopi proprij, recipiendum hortabuntur. Monebunt reiterari minimè posse: sacrosanctis pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentis instructos ad id accedendum esse prædicabunt; ac demum in id genus alia quæ ex Catechismo ad Parochos, & ex præcipuo nostro Edicto super id confecto facile colligere poterunt, inculcabunt.

Quod tamen edictum Dominica præcedente feſtum Pentecoſtes quotannis infra miſſarum ſolemnia clara voce Populis prælegent. Nobis itidem ad viſitandum Ciuitatem egredientibus feſto die immediate antecedente Eccleſiæ cuiuſuis viſitationem (inter cætera) eius Eccleſiæ Parochus, explicabit.

Habeant Parochi omnes ſeparatum librum in quo nihil aliud prorſus ſit ſcriptum in folio; in eoque quotannis deſcribant confirmatorum, nomina, & cognomina, Parentes, compatres, ſiue commatres, Epiſcopi confirmantis nomen, locum, & diem ac confirmati ætatem in hanc formam.

Anno Domini Menſe Die In Cathedrali Eccleſ. Ferrariæ ſeu in Parochiali Diœceſis Ferrariæ Reuerendiſſ. Domino N. Sanctæ Ferrarienſis Eccleſiæ Epiſcopo confirmationis Sacramentum Miniſtrante Petrus filius Franciſci Bononis, & Catherinæ Ferrarienſium iugalium habitantium in Ciuitate vel in Parochia mea, ſacro Chriſmate fuit confirmatus à præfato Reuerendiſſ. Domino Epiſcopo. Patrinus qui eundem leuauit fuit Dominus. N.

Clericus nullus audeat ſine expreſſa noſtra licẽtia ſiue in Baptiſmi, ſiue in chriſmatis Sacramẽto. patrini onus ſuſcipere ſub pœna nobis arbitranda.

De Eucharistia.

Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti in quauis Ecclesia super Altare maius collocetur infra Mensem, nisi super hoc aliter iustis ex causis fuerit dispensatum. Ante illud diu noctuq; lampas ardeat, in quem vsum Confratres societatis sanctissimi Sacramenti nouerint sese teneri eleemosynas quas colligunt, cõferre. Octauo quoque die Parochus Sanctissimum Sacramentum renouet.

Tabernacula, & Pyxides, in ordinationum libello præscripta executioni mandentur.

Sanctisima Eucharistia, ne quauis causa, sed publica tantummodo, eaque graui, exponatur, & facto prius nobis ea de re verbo, excepta ordinaria per nos statuta.

In omni Parochiali Ecclesia singulis mensibus processio Sanctisimi Sacramẽti vbi est eius sodalitas, tertia Dominica fiat; in Missa præterea saltem illius adhibeatur commemoratio.

Parochus quilibet, die Dominico qui solemnitatem Sanctisimi Corporis Domini præcedit ad Confesionem, & Communionem sacram sumendam, aliaq; in ea celebritate eiusque octauis præstanda Parochiales suos cohortetur, & paterne

commoneat: quo etiam die Indulgentias ad id conceſſas ex edicto noſtro de ſacra Proceſſione ſolemnitatis Corporis Chriſti ad calcem Synodi huius apponendo, Populo enunciet, vt tanti ſpiritualis theſauri particeps fiat.

Quotieſcunque ad infirmos Euchariſtia defertur, poſt reditum ad Eccleſiam, data populo benedictione annuntientur indulgentiæ ijs conceſſæ qui ſanctiſsimum Sacramentum aſſociauerint.

Pluries etiam infra annum indulgentias dictæ ſocietati conceſsas populo frequenti enunciēt; ac Regulas dictæ ſocietatis per nos reformatas & iuſſu noſtro æditas perlegant confratribus ſupradictis, qualibet tertia mēſis Dominica a prandio ante vel poſt veſperas.

In adminiſtranda populis Sanctiſsima Eucha*riſtia caueant Parochi, & Sacerdotes ne quod ſordidiſsimæ Auaritiæ ſpecimen edant; neue hac de re per ſe uel per clericos, aut alium pecunias ad id ullo modo colligant; qui ſecus fecerint, excommunicationis pœnam incurrant.*

De Pœnitentia.

CVm animarum curæ neruus & vis penè omnis in Confeſſionibus audiendis præcipuè

verſetur; Iccirco in id nobis præcipuè eſt inuigilandum, ut boni, ac periti adhibeantur Confeſſarij, qui & lepram, valeãt inter leprem diſcernere, & animarum, non proprij lucri cupidi, earum ſaluti ſolùm ſtudeant, quas proprio ſanguine Vnigenitus Dei patris redemit.

Nullus igitur ſiue ſecularis, ſiue Regularis in vniuerſæ Diœceſis noſtræ ambitu, pœnitentium Confeſſiones, aut etiam reconciliationes audire præſumat, niſi prius ab examinatoribus à nobis ad id deputatis examinatus, & approbatus fuerit, & accepta à Cancellario noſtro licentia, ei ad certum tempus, ad annum verò ad ſummum facienda in ſcriptis: quo temporis ſpatio finito, niſi ea renouata, nec alibi quam in locis in eadem licentia expreſſis: Qui alicui horum contrauenerint, quicunque ij ſint excommunicationis pœnam ipſofacto abſque alia ulla noſtra declaratione incurrant.

Habeãt verò Confeſſarij omnes dum Confeſſiones audiunt, præ oculis Tabellam Caſuum quos nobis reſeruauimus, Confeſſionalibus affixam, extra quæ Confeſſionalia, ad formam in libello Ordinationum noſtrarum nuper edito conficienda, ſiquis Cõfeſſiones mulierum audierit illico à Diuinis ſuſpẽſus exiſtat, niſi ĩfirmitatis cauſa aliter

fieri contigerit; habeant item librum Canonum pœnitentialium.

Omnem auaritiæ ſpeciem, in omnibus, ſed in tanti ſacramenti adminiſtratione imprimis Sadotes caueant, ne pecunia eorum ipſis ſit in perditionem, & dum priuato lucro inhiant, pauperibus Cælum claudant. Nulli igitur Cõfeſſario ſub excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœna, Confeſſionis auditæ vel audiẽdæ cauſa quicquam eo actu à pœnitentibus; etiam vltrò & ſponte oblatum accipere liceat.

Cum ſacris litteris, Canonibus, ſanctorum Patrum teſtimonio, & vſu Eccleſiæ expedire viſum ſit, et admodum vtile iudicatum; vt nedum Pontifex Maximus; ſed etiam Epiſcopi quorundam atrociorum criminum, & grauium peccatorum abſolutionem in ſua Diœceſi ſibi peculiariter excipiant & reſeruẽt: Ad quos caſus reſeruatos, inferioribus Sacerdotibus, niſi quibus ab Epiſcopo præcipuè ſit permiſſum, & demandatum vel in mortis articulo, manus extendere, & pœnitentes abſoluere, prorſus eſt prohibitum, & interdictũ; infraſcriptos caſus ſublata facultate omnibus ſacerdotibus ſecularibus, & Regularibus, abſoluendi ab eis, nobis peculiariter reſeruauimus, & reſeruamus: Quæ ideo in Synodo publicari voluimus,

vt om-

vt omnibus innotescant; illosque durare volumus vsque ad futuram Synodum Diœcesanam. Interea quicunque siue presbyter secularis siue sacerdos Regularis, a quopiam ex infrascriptis Casibus, absque expressa nostra licentia, aliquem absoluere præsumpserit, is excommunicationis laqueo, ipso facto se innodatum esse nouerit, prout ita ipsum fore declaramus.

Ac ne Regulares potissimùm, uigore priuilegiorum suorum, aut Maris magni existiment posse se ab huiusmodi absoluere; idcirco animaduertant sanctissimum Dominum Gregorium Papam decimum tertium fœlicis recordationis olim, nempe de anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Romæ, die decima Septembris, de sententia sacræ Congregationis Cardinalium qui præpositi sunt Decretis Tridentini Cōcilij interprætandis, cēsuisse ac declarasse ex facultatibus per Mare magnum aliave Priuilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopis reseruatis.

Casus reseruati.

QVi Deum, aut sanctissimam eius Matrem Virginem Mariam blasphemauerit.

Rapto-

Raptores Virginum.

Qui abortum procurarint.

Qui puellam, voto etiam ſimplici caſtitatis obſtrictam, ſciens violauerit, corruperitvè, aut violare tentauerit.

Eccleſiam polluentes, & qui peccata mortalia geſtu, vel verbo, in ea commiſerit.

Qui potionem, pharmachumvè dederit, vt quis moriatur, vel morbo tabeſcat, inſaniatvè.

Qui matrimonium de facto cum alia contraxerit, prima vxore adhuc viuente, & contrahentes matrimonium clandeſtinum, aut contra interdictum Eccleſiæ, aut tempore feriarum, vel in gradibus à iure prohibitis, & Parochi, qui etiam legitimum matrimonium extra Parochialem Eccleſiam celebrauerint.

Mulier omnis, quæ virilem habitum aſſumpſerit, vt liberius libidini operam det.

Matres, quæ earum filiæ, & viri, qui eorum vxoribus, vt ſe proſtituant conſenſerint.

Qui ſecundo, vel propinquiori cognationis gradu, inceſtum admiſerint.

Qui nefandum Sodomiæ crimẽ commiſerint, vel paſſi fuerint.

Et coeuntes cum brutis.

Qui falſa inſtrumenta, vel falſas ſyngraphas,

apo-

apocasvè confecerint, & qui conficienda mandauerit, consiliumvè dederit.

Notarij, qui legata ad pias causas facta, nobis, cum potuerint, post testamenti, vel alterius donationis instrumenti publicationem non denuntiauerint.

Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, vel alia huius generis, Sanctiss. Eucharistia Chrismate, oleo sacro, sacrisve alijs rebus abutuntur, & ad alium vsum quam fuerint ordinata; Et sortilegi, & diuinatores, cum inuocatione dæmonum, tacita vel expressa.

Qui terminos possessionum, vi, aut dolo immutarint, aut occultauerint.

Qui stateras, mensurasuè adulterauerint, corruperintve.

Qui locis pijs infantes exposuerint, cum habeant vnde ipsos alant, neque eorum locorum damnum resarcierint.

Incendiarij, & qui damni, iniuriæve causa, vites, vel arbores alienas inciderint, siue exsiccari fecerint.

Qui parentes percusserint.

Homicidæ voluntarij, & qui homicidium commiserint, & auxilium consiliumve dederint.

Qui Quadragesimæ, & alijs ieiunij diebus;

cum

cum ab Eccleſia vetitum ſit, ſine noſtra licentia, carne, vel alijs prohibitis cibis veſcentur.

Nolentes pijs legatis ſatisfacere, & qui infra tres menſes non ſatisfecerint.

Qui ſemel ſaltem in anno peccata ſua confeſſus non fuerit, & ſanctiſſimam non ſuſceperit Euchariſtiam in propria Parochia.

Qui in iudicio falſum teſtimonium dixerint.

Qui, ſuadente diabolo, in Clericum manus violentas iniecerint, cum ſcilicet caſus Epiſcopalis ſit.

Qui ignominioſa verba, aut minas grauiores in Sacerdotes intulerint.

Opprimentes filios, etiam caſu, & infra annum in lecto retinentes.

Qui ad Monialium, contra Edicti noſtri formam Monaſteria ſine licentia noſtra in ſcriptis acceſſerint. Moniales item quæ cuiquam loquutæ fuerint non viſa prius ſupradicta licentia, & quæ ad valuas Monaſterij alicui loquutæ fuerint.

Concubinarij, tam Laici vtriuſq; ſexus, quam Clerici, & eorum concubinæ.

Clerici, & quicunque in habitu Eccleſiaſtico incedentes, fornicatores.

Sacrilegium quomodolibet commiſſum circa furtum, aut rapinam.

Restitutio incertorũ, non existentibus quibus restitutio fiat, excedentiũ summam scuti vnius.

Qui reuocationem excommunicationis, suspensionis, interdictiuè, aut absolutionem, extorquent, vi, vel metu.

Quicunque, mulierem aliquam Monasterium ingredi, vel habitum, cuiusuis Religionis suscipere, vel professionem emittere coegerit, vel consilium, auxilium, vel fauorem dederit, & qui illius liberam voluntatem impedierit, quominus Religionis habitum suscipiat, vel professionem non emittat.

Laruati in habitu Religioso, tam Seculari, quam Regulari, & vestibus sacris abutentes, & eisdem pannos commodantes.

Qui Iudæos Medicos principaliter ad curam admiserint, & omnes Sacerdotes, tam Seculares quam Regulares, qui illis sacramenta administrauerint.

Clerici, qui sacris initiati, vel benefitia obtinentes, horas Canonicas non recitant.

Qui beneficia personalem residentiam requirentia obtinent, & non resederint.

Qui pensiones Ecclesiasticas obtinent, & officium Beatissimæ Virginis non recitant.

Confessarij omnes, qui criminis socios in pec-

cato mortali abſoluerint, & qui aliquid à pœnitē tibus nomine reſtitutionis, aut ſatisfactionis, aut promiſſionis petierint, vel exegerint.

Quicunque, etiam præceptores, aut alij, qui legere, aut Grammaticam & quamlibet liberalem artem docere præſumpſerint, non facta prius, coram nobis ſacra fidei profeſſione.

Formula abſolutionis à quolibet Confeſſario Sacerdote in Sacramenti Pœnitentiæ miniſtratione adhibenda:

MIſereatur tui Omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam: Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens & miſericors Dominus: Amen.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat; & ego authoritate ipſius te abſoluo ab omni vinculo excommunicationis minoris (aut etiam, ſi eius rei facultatem habeat Confeſſarius) maioris, ſi qua teneris.

Deinde abſoluo te ab oĩbus peccatis tuis. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus ſancti † Amē.

Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper Virginis; & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionẽ peccatorum tuorum, augumentum gratiæ, & proemium vitæ æternæ. Amen.

De Matrimonio.

DE *Matrimonijs quæcunque Sacro Tridentino Concilio, & libello Rituali Sacramentorum statuuntur, ea ad vnguem parochi obseruent. Illaque tantum in Ecclesia parochiali, cum celebratione Missæ, & Sacra Benedictione, si propter mutuam uiduitatem omittenda non erit, celebrent. Bis singulis annis primo scilicet die, & Dominica in Albis populo publicent, vulgari idiomate Decretum Sacrosancti Concilij Tridentini contra eos qui clandestina Matrimonia attentauerint sess.24.de reform.cap.1.*

De Extrema Vnctione.

I*Nfirmos sæpius Parochi etiam non vocati inuisant; pijs eos cohortationibus consolentur; ad confitenda peccata, cæteraque sacrosancta Sa-*

ramenta ſuſcipienda paterne hortentur.

Si cuiuſquam Parochi negligentia infirmus llus ſine pœnitentiæ, & extremæ vnctionis Saramento, ac ſacro Viatico deceſſerit grauiſſimis œnis arbitrio noſtro, etiam vſque ad benefitij pri ationem & exilium incluſiuè punietur irremiſſibiliter, præterquam quod de eius manu requiret nimas quæ perierint, tremendus Iudex in cuius nanus incidere horrendum eſt.

Parochi ſepulturas venales in Eccleſijs ſuis ullas habeant; nec pro ſepeliẽdis defunctis quiduam petant, ſed tantum ſponte oblata accipiant: auperes gratis ſepeliant; qui contrafecerint ſeerè punientur.

Orationes funerales nullas in Defuncti laudẽ quoquam in Eccleſijs ſuis haberi patiãtur à nois prius non obtenta in ſcriptis licẽtia, & dictaum orationum approbationis teſtimonio per heologum noſtrum ſubſcripto oſtenſo.

De Sacramento Ordinis.

PArochi ſiue qui in Ciuitate, ſiue qui in Diœceſi ſunt Dominica proſſimè antecedẽte ſaras ordinationes per nos celebrandas in calenario adnotatas, infra Miſſarum ſolemnia popu-

los suos admoneant, vt precibus illud à Deo, contendant vt nobis gratiæ suæ spiritum tribuat, quo idoneos, & aptos Ministros Ecclesiæ suæ sanctæ possimus adiungere.

De Exorcismis.

NVlli Ecclesiasticæ personæ etiam Regulari liceat energumenos exorcizare, aut energumenas, à nobis ad id non obtenta facultate: qui secus fecerint, ab Ordinum suorum executione suspensi persistent, quoad nobis visum fuerit. Qui verò ad id à nobis fuerint admissi, ea forma hac in re vtătur, quæ Rituali sacramentorum, nostro iussu ædito præscribitur.

Et ne sacra vertantur in iocos, & is ipse salutis nostræ hostis qui à corporibus per exorcismos pellitur, adstătium animas intret, hæc in ijs peragendis obseruanda præcipimus. Vt nempe in Ecclesia solùm, quæ præcipuè Domus est Dei; & non alibi, & orto dumtaxat Sole, neque post horam vigesimam tertiam exorcismi fiant. Quòd si obsessa exorcizanda fuerit, duæ vel tres ad minimũ mulieres optimæ conditionis & famæ, necnon & totidem mares, eidem consanguinitate coniuncti testes & assistentes adhibeantur; cæteri verò po-

tiſſimùm iuuenes per id tempus quo hæc fiunt, ab Eccleſia arceantur. Qui adſtantes, deuotè genibusflexis Deum pro obſeſſa præcantes, Sacerdotis exorciſmos priuatis ſuis orationibus foueant, & proſequantur.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad hæc nullo modo adhibeant, ita vt vel obſeſſæ exoſculandum præbeant, vel id ipſi exorcizantes in manibus teneant: aperto tamen Tabernaculo in quo illud aſſeruatur, hæc coram fieri liceat.

Cùm in omnibus ſit damnanda Curioſitas, ac inutilis rerum quæ ſupra nos ſunt, aut ad rem minimè faciunt, perſcrutatio, tùm hac in re maximè; prȩterquàm enim quòd Diabolus mendax eſt à principio, & pater mendacij, ſic etiam leues et curioſos pleroſque friuolis commentis, ac nugis eludere conſueuit, nonnulla etiam aliquãdo proferre quæ iurgiorum & grauiſſimorum aliàs criminum ſint veluti ſeminaria, aut perperam de alijs iudicandi materiam præbeant: Quapropter ſacerdos qui exorciſmos peragit ab ijs omnibus interrogationibus abſtineat, quæ ad obſeſſi curam parum, aut nihil conducunt.

Si quæ Moniales, aut ſacræ Virgines, Dei permiſſu, ab immundis ſpiritibus vexatæ fuerint adiurandæ; id hoc modo fiet; vt obſeſſa ſcilicet

in interiori Ecclesia ad fenestellã, è qua sanctissimam Eucharistiam sumere consueuerunt, adducatur, ad quam sacerdos in exteriori Ecclesia consistens, exorcismos legat; præsentibus semper in interiori æde aliquibus eius Monasterij Monialibus; in exteriori verò nulla persona laica.

Id demum (quod primo loco fuerat dicẽdum) exorcismum peracturus curet, vt è corporibus demones pulsurus, ab anima sua (si fortè ea fuerit obsessæ) diligenti primum, & humili Confessione repellat: ne ei possit exprobrari: Medicè cura teipsum: Exorcismos verò sanctorum omni puritate, humilitate, & pietate perlegat, nihil sibi, sed Ordinis sacramento, Ecclesiæ instituto, Diuinis verbis, & sanctorum precibus tribuens, si quid fortè à Domino fuerit obtentum, sin minus peccatis suis adscribat, quòd à Deo minimè exaudiatur.

De habitu, & vestitu Ecclesiasticarum personarum.

EXterior corporis & vestium compositio in Ecclesiasticis personis modestia, & grauitate plena esse debet, vt amictus corporis indicet de homine. Omnibus igitur Ecclesiasticis in Ciuitate,

& Diœceſi Ferrariæ degentibus præcipimus, vt veſtem interiorem & exteriorem vtramque ad talos vſque demiſſam gerant continuò. Nullo modo ſericas habeant veſtes, nec vt vulgo dicũt manicas, & nullius coloris niſi nigri. quod non tam de veſtibus prolixioribus quàm etiam de torace, ſeu diploide, caligis, & fæmoralibus intelligimus. Qui veſtes aut manicas ſericas geſtàuerint veſtibus ipſis & manicis mulctentur, alijs item pœnis arbitrio noſtro iuxta inobedientiã ipſorũ.

Non modo in Vrbe, ſed in loco etiam finibuſvè propriæ Parochiæ, tàm Parochi, quàm alij omnes Eccleſiaſtici, talares veſtes induant, et in Oppidis lociſvè inſignibus ſaltem & frequentioribus. Cum item ad Congregationes foraneas, ad Celebritates dierum feſtorum, ad funera & officia mortuorũ euocantur: pœnam autẽ mulctamvè luant aurei nummi quoties deliquerint, alijſque prætererea pœnis mulctentur arbitrio noſtro.

Liceat tamen cùm longius proficiſcẽdum fuerit, veſte viatoria breuiori, ſed interiori, & exteriori, non autem exteriori tãtum ſupra toracem, uti, ijſque clericalibus; vbi verò peruentum fuerit ad locum quò tendunt, veſtibus ijs dimiſſis, longiores, & talares induant.

Nullus Eccleſiaſticus, vt ſacri Canones volunt

nisi sit in dignitate Ecclesiastica constitutus annulum gestet sub pœna ammissionis ipsius annuli; & alia arbitraria: Dignitas autem intelligatur in cuius traditione annulus porrigitur.

Vestes etiam domesticæ clericales nigro colore sint omnino.

Tegumenta capitis domestica quæ biriola vocant, oblonga, et galeri instar turbinis, & qui militem potius, aut lasciuientem iuuenem, quam Ecclesiasticũ hominem decent, omnino prohibẽtur.

In Ciuitate præter quàm tempore pluuiæ; aut ob aeris intempeiẽ bireto clericali vtantur; non autem galero: Galeros autẽ sericos, aut ex ormesino non habeant; alioquin liberum sit satellitibus, vbicumque eos per uim etiam gestantibus accipere; quod & de vestibus, aut manicis sericis eisdem nunc pro semper permittimus.

Caligæ turgentes, aut intercisæ & vario opere elaboratæ; Ligulæ etiam caligarum, aut prolixiora ligamina inferiorum caligarũ sicut & calceamentorum serica, & crepitæ ex oloserico; hæc omnia clericis vetita censeantur.

Quoniam verò Clericorum arma orationes, & sacrificia & vita exemplaris esse debent: Idcirco arma omnia cuiuscunque generis, etiam in itinere Ecclesiasticis omnibus prohibita sint; qui

vero

vero ea vllo unquam tempore aut ulla de cauſa geſtare præſumpſerint, armis ipſis mulctentur, & Carcere per menſem, & legis canonicæ, & Concilij Pictauen. cenſura, vt ſuperius dictum eſt innodentur. Tales enim eſſe decet Clericos, vt nemini iniurioſi à nemine etiam iniuriam ſibi metuant inferri.

De funeribus, ſiue exequijs, ſepulturis, & officijs mortuorum.

EGregium, & inſigne id ſemper fuit pietatis opus quod honorifice Chriſtianorum corporibus tumulandis defertur, cum ea Templa fuerint Spiritus ſancti, & reſurgendo aliquando, vnà cum animabus cœleſti Regno inuehenda ſperemus: Quin inter miſericordiæ opera Deo gratiſſima, & hoc vnum eſt quod ſepeliendis mortuis exercetur. Cauendum iccirco ſummopere eſt ne huiuſmodi opera quæ delicatiſsimi ſunt animarum cibi, litigiorum, ſcādalorum & id generis peccatorum uenenis inficiantur.

Omnibus igitur ſiue presbyteris, et Clericis ſecularibus, ſiue Regularibus cuiuſcunque Ordinis, aut Religionis, & Sodalitatum Confratribus diſtricte præcipimus, quatenus ſicut in cæteris, ita

in hoc maxime caueant, ne scandalo populis sint, vllà in re; ne in petendis & exigendis eleemosynis sese auidiores ostendant, aut inter sese ea de re, iurgia excitent, & contentiones.

Ab Ecclesia ad quam cadauer defertur non prius discedant, aut candelas extinguant, quam exequiæ completæ fuerint, & absolutæ.

Præsente Cathedralis Ecclesiæ Capitulo, ad ipsum spectet exequiarum officium dirigere, & funus persoluere; ipso absente, Parochi in cuius Parochialem Ecclesiam cadauer infertur, munus hoc sit, seu Religionis in cuius Ecclesia est tumulandum; vt hoc ordine confusio omnis facile tollatur.

Confraternitatum uero aut Sodalitatum quarumlibet homines nullo vnquã prætextu aut causa officium in Ecclesijs in quas cadauera deferuntur præsentibus Parocho, aut alijs religiosis exerceant, psalmos, tamen & alias pias praces deuote procedendo canant. In suis verò Oratorijs, tam in funeribus confratrum, quam aliorum liberum eis erit iuxta eorum laudabile institutum canere.

Bini, & bini omnes per viam sub propriæ Crucis vexillo incedant, deuote, & alta voce psallentes Domino, & pro Defuncti anima orantes, memores quia quod tunc ipsi defuncto illi persoluunt

citius forte quam exiſtiment ipſis erit perſoluendum.

Funus die feſto ne agatur: ſi quando autem ob vrgentem cauſam agi oportet, nullo modo mane, ſed poſt veſperas, nunquam uerò nec vllo die poſt horæ uigeſimæ quartæ pulſum Parochi illud agi permittant.

Pium ſanè & ſacris conſtitutionibus conſonum ac animabus defunctorum valde proficuum fuerit ſi in eã horam cadaucra ad Eccleſiam deferantur in qua Miſſa pro eius defuncti anima cuius corpus humandum ſit, officiò à mortuis, ſiue exequijs adiũgi queat. Quapropter hortamur oẽs, vt inquantũ fieri poſſit id exequi ſtudeant. ſtipendia quæ Eleemoſynæ loco in funeribus dantur, nec religioſorum cupiditate augeantur, nec quorumdam laicorum auaritia & tenacitate minuãtur; ſed in ijs prout & in officijs a mortuis, laudabilis Patriæ conſuetudo ſeruetur.

De Sepulturis, quæ in ordinationum libello à nobis ædito ſtatuta ſunt, inuiolabiliter ſeruentur.

Sub excommunicationis pœna caueant Eccleſiarum Rectores omnes ne Eccleſiaſticam ſepulturam ijs cõcedant quibus à iure interdicitur, quales ſunt excommunicati, publici blaſphemi, qui in duellis & ſimilibus ſunt mortui, qui ſeipſos oc-

ciderunt, publici vſurarij, qui eo anno ſaltem in Paſchate non ſunt confeſſi, & Euchariſtiam non ſumpſerunt, interdicti, & qui in peccato mortali publico & notorio ſunt mortui nullum pœnitentiæ ſignum dantes. Huiuſmodi hominum cadauera tam longe ab Eccleſijs & Cœmeterijs ſepeliantur, aut projciantur potius, vt nec inde Clericorum canentium uoces a uiuis queant audiri.

Qua hebdomada; Anniuerſaria, ſeptima, aut trigeſima pro mortuis erunt celebranda, ea Parochus præcedenti Dominica poſt Euangelium populo denunciet.

De Cœmeterijs eorum clauſura, Cruce in medio, & ſimilibus, quæ in Ordinationibus ſupradictis præſcripta ſunt, adamuſsim ſeruentur. Nullæ in ijs arbores aut vites plantentur; ſiquæ in eis ſunt infra menſem abſcindantur ſub pœna ſuſpenſionis.

In Cœmeterijs ſecularia nulla negotia exerceantur; nõ illic cuiquam comedere liceat, aut compotare, ſiue dormire, multò minus troco aut pilis, aut aliquo alio ludi genere ludere aut tripudiare, nec frumenta aut pannos ſiccare: Nihil in eis, aut in Eccleſiæ porticibus vendatur, etiam ſi de ijs ſit quæ ad Eccleſiæ obſequium, & miniſteria ſint neceſſaria.

Cruces & imagines ſacræ ſculptæ in terra, & in parietibus in locis immundis depictæ oĩno tollantur, idque procurent Parochi, & vbi exequi non poterint nobis referant.

Quod Clericis in morte parentum, aut conſanguineorum non liceat pullatos incedere.

VT verò cultu, & cerimonijs volebat Dominus populum ſuum ab Idololatris & ethnicis diſtingui, ſic etiam veſtibus & quotidianis quibuſdã obſeruationibus, inter quas & hæc erat, vt ne infidelium ritum & morem imitantes exterioribus quibuſdam ſignis immoderatum mœrorem in Conſanguineorum morte præſeferrent: hinc Leuitici decimonono capite præcipiebat; & ſuper mortuo non incidetis carnes veſtras, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. Neque enim eo dolore expedit eos qui Diuinæ legis, & voluntatis habent notitiam affligi in eorum morte quos reſurrecturos certò ſciunt, & ſi quidem bene vixerint in æternum regnaturos, ſin verò male perpetuis cruciatibus mãcipandos, quo gentes quæ Deum ignorant, & animæ immortalitatem neſciunt decedentes ſibi charos deplorãt.

Omni-

Omnibus igitur Ecclesiasticis personis secularibus nobis subiectis, & cæteris in Ciuitate, & Diœcesi Ferraria commorantibus præcipimus, vt in quorumlibet morte pullatas vestes, seu vt vulgo dicitur di Frisa ò di Cottone minimè assumăt, qui secus fecerint; vestibus ipsis mulctentur: sed panno seu rascia simplicibus vtantur: meminisse etenim debent se dum clericali militiæ adscriberentur, peculiari quodam modo præ cæteris Christi fidelibus Deum in patrem & Ecclesiam recepisse in matrem, immortales, et eos esse quibus dici debeat, et possit, vt olim Petro; quia caro et sanguis non reuelauit tibi. Sed & Sacerdotes cum sint, meminerint Sacerdotium ipsorum, vtpotè Christi longè esse excellentius, atque nobilius Sacerdotio Melchisedech, de quo perhibuit Paulus, quia neque patrem habuit, neq; matrem, neque genealogiæ ipsius series vlla reperitur. Sic Numeri sexto capite filijs Israel præcipiebat Dominus per Moysem: omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredientur, nec super patris quidem & matris, & fratris, sororisque funere contaminabuntur, quia consecratio Dei sui super capita eorum est; Leuitici vero capite vigesimo, quod alias de filijs Israel in vniuersum, peculiariter ibi de Sacerdotibus; ac postea de Pon-

tifice præcipue idem Dominus dixit: Pontifex ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus caput ſuũ non diſcooperiet (illud, inquam, nudando, inſtar aliorum defunctos lugentium; vnde Cidarim à capite ſuo non deponet, illa ex cauſa): Ex eadem quoque cauſa veſtimenta ſua non ſcindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino; ſuper patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur: Quòd ſi quis fortè obijciat, iſtud videri pietati contrarium, quæ defunctis præſertim parẽtibus & propinquis debetur; certè is ſciat virtutem vnam aliquando cedere alteri; potiſſimum verò inferiorem ſuperiori ex rationabili cauſa; & ſic in propoſito miſericordia & charitas fraterna cedunt, & deferunt charitati Diuinæ, ac latriæ.

De Publica Oratione.

CVm maxima ſit Orationis vis, dicente Domino, petite & accipietis; & ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; certè tum imprimis ad Dei aures clamor perueniet cũ à corde plurium, & ore pariter vnanimi, atque concordi proceſſerit; vbi enim multiplicatis in-

terceſ-

tercessoribus petitur per vnius ardorem charitatis, alterius suppletur plerumque tepiditas dilectionis. Hinc antiquitus à sanctis Patribus nostris ad hæc vsque tempora laudabilis mos peruenit, vt in grauioribus publicis præsertim necessitatibus, publicæ fiant orationes, & quadraginta horarum preces instituãtur in memoriam sacratissimi illius temporis quo Dominicum corpus in sepulchro iacuit anima vero inferos spoliauit; vtrique tamen perpetuo unita permanẽte Diuinitate. Orationis hoc genus vti vtilissimum, sic pro temporum occasione, & necessitatum; singulis annis in Aduentus & Hebdomadæ passionis tempora, quibus potissimum dies malos redimere consueuerunt fideles indiximus publicè in Cathedrali nostra; æditis etiam hac de re, libellis, quibus piæ meditationes, & praces in singulas horas sunt distributæ.

In qua cum ea Oratio instituetur Clerus omnis, tũ secularis, tũ regularis, pœnis arbitrio nostro absentibus infligendis; sodalitates quoque ac laicorũ hominũ confraternitates intersint; successiuè antẽ suas quique sibi præfixas horas obire nõ desinãt, omni pietatis ac diligẽtiæ affectu; maledictus enim homo qui facit opus Dei negligenter.

Quoniam vero nisi Dominus custodierit Ciui

tatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam: & vero continuis vexamur anguſtijs & neceſſitatibus premimur: ideo orationis huius efficaciſsimæ præſentaneum remedium præ manibus vt ſemper ab ijs habeatur, quos ſemper circuit infernalis leo vt deuoret, per totum annum in Ciuitate ordine à nobis deſcribendo, quolibet die Dominico in aliqua particulari Eccleſia per vices, & ſucceſſiue ſanctiſsimũ Euchariſtiæ Sacramentum publicè omni adhibito cultu, & ornatu religioſo, non autem profano exponi & ſuper Altare maius extra Tabernaculum collocari, ac per quadraginta horas ad orandum Populo patere mandamus; eaque de re, per Eccleſiæ Rectorem ſeu Superiores, ſi Regulares extiterint, quo die id penes ipſos fuerit faciendum Dominica immediate antecedenti ſyngraphas manu ſcriptas aut etiam impreſſas Eccleſiarum Ciuitatit valuis, eius imprimis, in qua eo die oratio habebitur & alijs locis publicis affigi; quibus Populo indicetur ſequenti Dominica, qua in Eccleſia, & qua hora inchoanda ſit ſalutaris oratio.

At ne qua tam ſalutari inſtituto ſeſe ingerat aut intrudat indignitas: ſtatuimus, vt ne in poſterum in Ecclesijs vllis ſiue Secularium ſiue Regularium in Ciuitate, & per Diœceſim, quadra-

ginta horarũ instituatur oratio inconsultis nobis.

Cum in Ciuitate in Ecclesia aliqua siue in Cathedrali nostra, aut alia eam celebrari cõtigerit; in nulla alia celebretur donec ea fuerit absoluta quæ tum temporis peragitur: Neque vero huiusmodi oratio proponatur, nisi in Ecclesijs dumtaxat in quibus sanctissima Eucharistia asseruari solet.

Quo tempore ubicunque ea fiet, non pauciores decem candelis, præter lampades ante sacratissimum Christi corpus iugiter ardeant.

Orantibus siue interdiu, siue noctu, duæ saltem Ecclesiasticæ personæ, Sacerdotes si fieri poterit; sin minus Diaconi saltem, asistant venerando, ac tremendo Altari, tanti thesauri custodes: nec ullo modo absentibus ijs, laicis orare eo loco permittatur.

Orantibus pie admodum, sed breuiter in singulas horas, Religiosus aliquis saltem Diaconus puncta ad meditandum edisserat; quod si alicubi id minime fieri poterit; Parochus seu Ecclesiæ Rector id faciat, enixe a Deo vires ad tam salutare munus præstandum postulans; vel ex pio aliquo meditationum libello, uti Patris Granatensis, vel Patris Vincentij Bruni vulgari idiomate non nihil alta uoce grauitatis, et affectus plena perlegat.

Oratio-

Orationis item initio, qualibet hora ab accedentibus ad orandum litanias cõmunes, ſeu ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, aut ſacratiſsimi nominis Ieſu, ſeu Beatiſſimæ Virginis, lentè & deuote recitari alta voce, plurimum proderit ad præparandos animos ad habenda cum Deo colloquia, ne ſimus ſicut ij qui tentant Dominum.

Curent qui Orationi huiuſmodi præerunt, vt quatenus fieri poſſit mulieres ſeorſum a viris orẽt. Necnon & frequentes tabellas, ſeu libellos hac de re iuſſu noſtro æditos in quibus variæ præces, & orationes pro temporum, & præſentium neceſſitatum opportunitate, deſcriptæ ſint orantium commoditati parietibus Eccleſiæ, ſiue religioſis aulæis & tapetibus quibus dicti parietes tegantur appendant.

Siue cum Oratio aperietur, ſiue cùm claudetur, campanæ omnes Eccleſia in qua erit inſtituenda, pulſentur; & ſi proceſſionaliter extra Eccleſiam propter eius anguſtiam ſanctiſſimum Sacramentum per viciniam fuerit deferendum (idque a Sacerdote pluuiali albo induto, & pluribus clericis, ſuperpellicijs candidis veſtitis, præcedentibus, & cereos accenſos, ac thuribulum manu reſpectiue geſtantibus) Eccleſiarum omnium ante ſeu prope quas erit tranſeundum, campanarum pulſu, Re-

demptori nostro progredienti psallant in sono, & fidelium mentes qua possunt voce, ad iubilandum Domino inuitent.

Quandiu in Ecclesia exposita erit oratio, Missis aut horis Canonicis alta voce persoluendis abstineatur, nisi id fieri possit aut loco remotiori ab Altari maiori, aut quo tempore minor populi frequentia ad orandum conuenerit.

Cùm oratio per horas distribuetur; caueant quibus id curæ erit; ne mulieribus vllis nocturnas horas assignent: & quamuis absque intermissione, et continuo dictis quadraginta horis sit orandum; nō tamen ideo de nocte Ecclesiæ ianuæ apertæ teneantur, sed datis per singulas horas campanæ signis quibus oraturi moneantur, pulsantibus ipsis, alijs item qui oraturi accedent, eædem aperiantur.

Pro colligendis Eleemosynis patentia uasa quæ bacilos vocant, nullatenus exponantur; sed capsulæ tantum; idque non nisi habita a nobis licentia; quæ duabus saltem clauibus reserentur, quarum alteram Ecelesiæ Rector, siue Superior (si regularis sit); alteram verò is cui nos iniunxerimus, teneat.

Quòd si qua Ecclesia ad huiusmodi orationem mimus apta visa fuerit quòd experimento com-

probatum

probatum fuerit, populum ad eam frequentem minime conuenire, in ea vlterius minime inſtituatur talis oratio, ſed in ijs ſolùm, ad quas maior ſperari poſſit concurſus, & ſpiritualis profectus.

De ſtudijs, & de Congregationibus Sacerdotum ſemel quolibet Menſe faciendis.

AD ſpiritualem, & litterarium profectum illud in primis conducere viſum eſt ſi mutuis collationibus, & tractatibus, quæ quis ignorat alios interrogando percipere valeat; nam ſic audiens ſapiens ſapientior erit & intelligens gubernacula poſſidebit. Vt igitur quantum fieri poteſt Cleri noſtri pietati, & ſtudijs conſulamus, iuxta laudabilem plurimarum finitimarum Diœceſum morem ſtatuimus.

Vt Eccleſiaſtici omnes in Ciuitate degentes et præſertim Eccleſias parochiales obtinentes, & pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrantes eorum non ſint ignari, quorum ſcientia tanto muneri rite exequendo neceſſaria eſt: Iccirco lectiones Caſuum conſcientiæ aut alia de re quæ in capella noſtra, aut alibi ter in hebdomada habebuntur, fre-

quentent, cuius rei norint nos exactam rationem habituros.

Per Diœcesim verò Sacerdotes omnes, non solum Parochi, & alij siue maioribus siue minoribus ordinibus insigniti, infra illarum Ecclesiarum fines degentes, quarum Rectores inuicem sese ad funera, seu officia Mortuorum conuocare solent, seu infra earum Plebium circuitus quas constituemus, semel saltem quolibet mense omnes nullo dempto ad Ecclesiam illam conueniant, quã ipsi delegerint, In eaque hæc quæ infra scripta sunt, obseruentur.

Cæteris omnibus Sacerdotibus de feria seu festo currenti sacrum facientibus, Missam vnus celebret de Spiritu sancto; Ecclesiastici omnes eo die cum Ecclesiæ illius Rectore cibum sumant, cui Rectori sub suspensionis pœna vetitum sit præter fructus & caseum, ac panẽ, & vinum & præter pulmentarium vnum aut offam quicquam apponere. Comedentibus cæteris ex sacro aliquo libro ex iunioribus clericis aliquis legat ad finem vsque prandij.

Nullus verò laicus prandio illi aut Congregationi, & colloquijs à prandio insimul faciendis adesse permittatur.

Partem aliquam Cathechismi publicè unus exponat,

ponat, is qui ab Archipresbytero, ſeu antiquiore Parocho, donec Vicarij foranei à nobis deputentur pro proxime futura Congregatione fuerit ad id monitus: Cuius etiam officium erit: tres caſus ad ſummum examinãdos, & diſcutiendos proponere.

Iis abſolutis, de rebus ſpiritualibus mutua colloquia inſtituent; & de ijs præſertim rebus, quibus à peccatorum via homines auocari, Chriſtianæque perfectionis iter & curſum tenere poſſint, & de rationibus item, quibus ſathanæ tentationibus ſit reſiſtendum.

Proponentur etiã remedia, quæ ad ſingula peccata vitiaque depellenda, ea imprimis quæ in populo aut Clero ſint frequentiora, adhiberi oporteat: & rationes pariter quibus turbulentæ animi commotiones ſedari, prauique habitus, adiutrice Dei gratia radicitus extirpari poſſint.

De periculis prætere a agetur, quæ vitæ ſpiritualis curſum interrumpunt, & impediunt; rurſuſque de adiumentis quibus illa propulſantur.

De ratione pariter qua ad ſanctæ orationis, Diuinarumque meditationum ſtudium ac vſum fideles inſtrui debent. De modo item piè, deuoteque preces horarias recitandi, & Miſſam Sanctè, religioſeque celebrandi.

De ratione item subministrandi moribundis adiumenta ad sancte, pieque in Domino moriendum. De alijs præterea auxilijs spiritualibus, quibus adiuuari proximus potest vt in sanctitate, & iustitia Deo seruiat.

Aliquando etiam vnusquisque conferat quid eo die sibi in oratione, & meditationibus, maiore cum animi sui vi, spiritualique lætitia Dei benignitas communicarit.

Frequenter quoque ex Diuinis mysterijs, atque ex dictis, factisque sanctorum meditationes aliquæ excitentur, & proponantur.

Nec parum profuerit, si ea qua decet charitate, quod ab aliquo ex consacerdotibus aut Clericis ibi præsentibus per eos dies erratum, aut minus prudenter, & religiose factum fuerit, ad pœnitentiam, & emendationem ab ipsomet qui deliquerit recitetur, & in Domino corripiatur.

His demum omnibus absolutis, quæ infra Parochi ædes fient, bini omnes superpelliceis induti (prout et quandiu simul conferent, erit obseruãdum) ad Ecclesiam, præcedente Cruce pergant: Te Deum laudamus cãtantes, et gratijs Deo actis, procedant in pace ad Ecclesias, & Domos suas singuli.

In qualibet simili Congregatione quolibet an-

no, omnium votis vnus eligatur, qui punctatoris officium exerceat, iſque eo anno omnes illos annotet, qui præfatis Conuentibus non interfuerint, & quoties abſuerint, & anno exacto punctationum ſummam fideliter ex tabella collectam ad nos deferat.

E Sacerdotibus in quauis Cougregatione vnus deligatur, qui latino ſermone quæcunque diſputata fuerint, colligat in vnum, adiectis dubiorum reſolutionibus; eaque omnia per fidum nuntium quolibet Menſe tranſmittat.

De duplici ſeu ſemiduplici officio in Quorundam Sanctorum feſtis præcipuis recitando.

V*Irtutum omniũ Regina charitas præter cætera eò etiam alijs omnibus eminere dignoſcitur, quod fides & ſpes cum in iuſtorum morte ceſſent, ſola tamen charitas viget in Cælis, et quidem perfectiſſima apud ſupernæ illius Hieruſalem ciues, qui de propria eorum ſalute ſecuri de noſtra ſunt directione ſolliciti: & quamuis ſancti omnes erga vniuerſum humanum genus charitate ſint incenſi, peculiari tamen quodam amore erga eas Ciuitates ſunt affecti; quarum vel ſunt patro-*

ni à Domino constituti, vel publico voto & pietate a populis adsciti, vel penes quas, sacra sua pignora, corpora videlicet, aut corporum partes asseruantur in diem extremum, quo duplici animæ, & corporis gloria circundati in occursum Domini procedent, quorum nunc caro requiescit in spe, seu in eorum honorem sacræ Ecclesiæ extructæ seu altaria sunt erecta, Amor vero, amore rependitur & honore. Hinc si sanctos omnes duliæ cultu adorare debent qui in exilio adhuc pugnant; eos præcipue quorum assiduis & peculiaribus precibus adiuuantur.

Præsenti igitur edicto nostro mandamus omnibus, & singulis regimini nostro subiectis qui ad horarum canonicarum recitationem quomodocunque, siue ratione ordinis sacri siue beneficij tenentur vt in posterum præter festa Sanctorum à summis Pontificibus Gregorio xiij. & Sixto Quinto Breuiario Romano addita, & in quibus officiũ Duplex, aut semiduplex est institutum in festiuitatibus infrascriptorum sanctorum, Officium celebrent duplex, aut semiduplex prout suis locis erit adnotatum, quod si non fecerint, à mortali culpa exemptos sese minime fore, sciant, & ad restitutionem fructuum eius diei, ad ratam beneficiorum quorumcunque sese teneri, licet

alind

aliud quoduis officium perſoluant.

Die Decima quarta Februarij Sancti Lei Conf. nō Pontificis cuius corpus requieſcit in parochiali Villæ Viguentiæ Diœceſis noſtræ duplex.

28 *Martij de Sancta Cruce duplex, in memoriam ſanguinis miraculoſi in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Vado Ferrariæ exiſtentis.*

11 *Aprilis Sancti Leonis papæ, & Confeſſoris, duplex.*

24 *Aprilis Sancti Georgij Martyris, & patroni noſtri Ferrarienſis cuius Reliquiæ in Cathedrali noſtra aſſeruantur: duplex.*

8 *Maij Sancti Maurelij epiſcopi, & martyris patroni, et epiſcopi Ferrariæ cuius ſacrum corpus requieſcit in inſigni Parochiali Eccleſia Sancti Georgij in ſuburbio Ferrariæ: duplex.*

10 *Maij Sancti Iob Confeſſoris cuius extat in honorem Eccleſia, & Hoſpitale Ferrariæ: ſemiduplex.*

20 *Maij Sancti Bernardini Confeſſoris: ſemiduplex.*

28 *Maij Sancti Guilelmi Confeſſoris: ſemidup.*

22 *Iunij Sancti Iuliani Martyris: ſemiduplex.*

28 *Iunij Sancti Leonis Papæ, & Confeſſoris: duplex: cuius corpus requieſcit in Parochiali Eccleſia ſancti Stephani Ferrariæ.*

18 Iulij Sancti Materni Episcopi, & Confess. Archiepiscopi Mediolanensis: duplex.

26 Iulij Sanctæ Annæ, nec Virg. nec Mart. ex Constitutione fæl. recor. Gregorij Papæ XIII. Kal. Maij, Anni 1584. extat item sub eius inuocatione Ferrariæ insignis Ecclesia, & Hospitale maius. Duplex

27 Iulij Sancti Christophori Martiris duplex cuius festum fuit die 25. sed transfertur ob festum Sancti Iacobi Apostoli, quod eodem die celebratur: extat sub eius inuocatione Hospitale expositorum.

29 Iulij Sanctæ Marthæ Virg: semiduplex.

9 Augusti Sācti Romani Martyris: duplex, cuius corpus totum seruatur ī insigni Parochiali Ecclesiæ Sancti Romani Ferrariæ.

16 Augusti S. Rochi Confessoris: duplex.

19 Augusti S. Rufini confessoris: duplex ob insignes tibiæ, & pedis huius sancti: reliquias, in Parochiali Ecclesia Diui Thomæ Ferrariæ existentes.

25 Augusti Sancti Ludouici Confessoris: duplex.

2 Septembris Sancti Antonini Martyris: semiduplex.

1 Octobris Sanctæ Sophiæ viduæ: semiduplex.

7 Octobris Sanctæ Iustinæ Virg: & Mar: dupl.

21 *Octobris Sanctæ Vrſulæ, & ſociarum Virginum, & Martyrum: ſemiduplex.*
27 *Octobris Sancti Iuonis Confeſſoris: ſemid.*
6 *Nouemb. Sancti Leonardi Confeſſ. ſemidup.*

De Solemni Officio in memoriam Miraculoſi ſanguinis apud Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Vado exiſtentis.

QVoniam Sanctiſſimi Corporis & ſanguinis D. N. Ieſu Chriſti memoriam, & in eius honorem dedicatas Eccleſias, & Altaria erecta pro illius amore quo nos miſericorditer redemit, & ab inimici noſtri faucibus liberauit; proculdubio venerari tenemur in terris. Hinc eſt quòd cum in Parochiali Eccleſia Annunciationis Beatiſſimæ Virginis à Vado vulgariter nũcupata huius Ciuitatis Ferrariæ Altare exiſtat erectũ in honorem & memoriam Miraculoſi Sanguinis D. N. Ieſu Chriſti, qui de Anno Milleſimo Centeſimo ſeptuageſimo primo, die vigeſimo octauo menſis Martij, qui tunc fuit dies Sanctiſſimæ Reſurrectionis, in fractione hoſtiæ viſibiliter apparuit, mirabiliterque ita pauimento adhæſit, vt eius guttæ recentes, ac ad viuum expreſsæ adhuc vigeant, ita vt ab omnibus & videri, & venera-

ri possint. Nos cupientes vt diuinus cultus ibi & vbique in dies augeatur, & tāti miraculi memoria, vt decet perpetuò conseruetur; hac nostra Synodali constitutione sancimus. Quod futuris perpetuò temporibus, die vigesimaoctaua mensis Martij in honorem sanguinis eiusdem Domini N. Iesu Christi, nisi ea dies infra maiorem hebdomadam, aut in festum nouem lectionum inciderit officium fiat de Sancta Cruce, duplex, vt in die Exaltationis Sanctæ Crucis de Mense Septembris.

De Cathedratico Cathedrali Ecclesiæ per Parochos singulos persoluendo.

Cathedralis Ecclesia, vtpotè quæ in quauis Diæcesi primatum obtinet, & reliquarum mater est, & caput Ecclesiarū, à qua cæteris Parochijs Sacrosancta Sacramenta communicātur, merito ab ijs quibusdam etiā exterioribus signis est veluti mater veneranda: In cuius quidem honorificæ recognitionis, & subiectionis signum, & in honorem Cathedræ illud Sacris Canonibus est constitutum, vt annuatim quotannis, Parochi omnes eidem Cathedrali Ecclesiæ honoris argu-

mento certam quãdam pecuniæ ſummulam perſoluant. Sanè licet per aliquot ante actos annos, vel Illuſtriſſimorum Cardinalium prædeceſſorum noſtrorum abſentia, vel alijs de cauſis ea pecunia exacta minimè fuerit, & à nobis iure noſtro omnis ea nunc exigi poſſit, quoniam quod eo nomine ſolui debet, præſcribi nullatenus poteſt: Nos tamen nullum per hoc Eccleſiæ, & iuri noſtro præiuditium inferre volentes, ſed titulo meræ, & puræ ac gratuitæ donationis, Parochis omnibus quoſcũque terminos hucuſque decurſos condonamus atque remittimus. Verum vt (iuxta iuramenti per nos in adeptione Epiſcopatus præſtiti formã) Eccleſiæ noſtræ dignitatem, & iura in omnibus retineamus, & conſeruemus; ſtatuimus vt in poſterum primam ſolutionem facere incipiant, Parochi omnes tã in Ciuitate, quam in Diœceſi exiſtentes. quotannis cum ad Synodum accedent, ſeu (ſi infirmitate, aut alio legitimo impedimento detenti, accedere non poterunt) per procuratorem, Oeconomo noſtro Cathedratici nomine bononenos duos perſoluant.



Libri

Libri quos Clerici, & Sacerdotes, ac reliqui Ecclesiastici viri penes se, & præ manibus habere debent.

QVoniam ad hoc clericalis Ordo institutus est, vt qui ei quomodolibet adscribuntur, diu, noctuque orationi instantes, sedulo Diuinis laudibus vacent: Quæ vero orando proferuntur, nisi intelligantur, ea degustari minime possunt: est vero etiam quicunque in Domini sortem admittitur, non modo sibi, sed & cæteris dux viæ quæ ducit ad Deum, & Doctor, ac Magister futurus; iuxta illud Prophetæ: labia Sacerdotis custodient scientiam, quia Angelus Domini exercituum est: nihil autem est turpius, quàm eum qui alios docere debuisset, eiusmodi esse, vt à laicis hominibus discere indigeat: Idcirco præter vitæ sanctitatem, & morum integritatem; non leuis etiã in Clero nostro à nobis desideratur eruditio, ne quando dicant gentes; quia sicut populus, sic & Sacerdos, sed populo Sacerdotes, & pietate præstent, & doctrina. Præter priuata igitur, ac domestica studia quibus plures ipsi diei, & noctis horas, pro officij, & muneris sui dignitate, ac ratione varijs ad cuiuslibet captum accomodatis libris impendent, Infrascriptos omnes hos libros

quem-

quemlibet Eccleſiaſticum Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ in quocunque Ordine conſtitutum, habere volumus.

Doctrinã Chriſt. iuſſu noſtro typis excuſſam.

Officium Beatiſsimæ Virginis habeant præſertim qui ad boras canonicas recitandas nondum tenentur.

Cæteri vero Breuiarium Romanum, cum officijs ſanctorum à ſummis glor. memoriæ Pontificibus Gregorio Decimotertio, & Sixto Quinto additorum. Diurnale Romanum.

Habeant omnes qui horas canonicas ſeu ratione Ordinis, ſeu beneficij recitare tenentur: piumadmodum, & perneceſſarium librum declarationum, & Meditationum, ac explicationum lectionum omnium totius anni Matutinorum, recens Reuerendi Domini Ioannis Baptiſtæ Poſſeuini Theologi noſtri opera, & iuſſu noſtro vulgari, & vernaculo idiomate compoſitum, & impreſſum.

Concilium Tridentinum.

Cathechiſmum ad Parochos.

Libellum ordinationum noſtrarum.

Libellos paſtoralium litterarum noſtrarum de Aduentu, Septuageſima, & Quadrageſima.

Modum explicandi Euangelia iuxta Cathechiſmi Romani normam, & præſcriptum.

Biblia Sacra.

Sacerdotale Romanum: Rituale Sacramentorum.

Summam aliquam breuem, & faciliorem Casuum conscientiæ.

Librum aliquem. Homiliarium; & alios pro captu, vt præfatum est vniuscuiusque.

De Synodo.

CVm populorum salus a Pastoribus, & Sacerdotibus maxima ex parte pendeat: hinc est quòd Sancti Patres, & Prædecessores nostri Diuino Spiritus sancti lumine illustrati in id potissimum, & primum incubuerunt vt Sacerdotum mores componerent, quo fidelis populus in eos intendens, veluti oues Iacob ad virgarum colores suorum operum fœtus varios & decoros conciperet. Huius vero assequendi finis gratia cum media plurima fuerint excogitata, Diœcesanarum sinodorum annuarum ratio inter ea principem fere locum obtinuit: In ea si quidem cum de sacerdotum corrigendis erratis, moribus componendis examinando regimine agatur imprimis; populis etiam particulari modo consulitur, dum quæ in ipsis dominentur peccata, qui abusus vigeant tum

quibus remedijs animarum ij morbi pellendi ſint accurate tractatur. Verum quoniam omnis noſtra actio, niſi Diuino ſit fulcita munimine, euaneſcit: & Deus ipſe licet ſalutis noſtræ auidiſſimus rogari tamen vult, & inuocari, iuxta id quod per prophetam eſt dictum: clamabit ad me, & ego exaudiam eum, & quo maiora ſunt quæ aggredi tentamus ſiue perficere, eo Magis Diuinam opem implorare neceſſe eſt: Idcirco cum Synodalis hic conuentus tanti referat Reuerendo Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Capitulo, ac omnibus perſonis Eccleſiaſticis in Ciuitate Ferrariæ degentibus ſiue beneficiatis, ſiue non, etiam ſola prima tonſura initiatis, etiam ſcolaribus, ſeu in nobilium, aut Ciuium domibus pædagogi, aut alias Magiſtri munus exercentibus, ſeu alias quomodolibet; præcipimus quatenus poſthac ſingulis annis, Dominica immediate precedente diem Synodi ad Eccleſiam noſtram Cathedralem de mane hora præfigenda conueniant ad hoc vt generali Proceſſione per dictam Eccleſiam dirigenda Spiritus ſancti opem, & ſanctorum interceſſionem imploremus vt proxime futura Synodo id ſolum præ oculis habeamus quod ad Dei honorem promouendum, & ſalutem animarum procurandam ſpectet.

Parochis vero omnibus per Diœceſim mandamus

mus, quatenus eadem ſupradicta Die Dominica has ipſas Proceſſiones, & ipſi per Paratias ſuas habeant aduocatis ad eas Clericis omnibus alijsque perſonis Eccleſiaſticis infra ſuæ Paratiæ fines commorantibus.

Litaniarum et præcum libellus per nos ad hunc finem æditus, ea in Proceſſione adhibebitur in calce præſentis Synodi deſcribendus, vt vnanimes vno ore idem omnes in Chriſti nomine petentes, a Domino facilius exaudiamur.

Qui Clerici, quocunque prætextu ſeu titulo ad præfatam proceſſionem, ſicut & Synodum ſtatuta die celebrandam conuenire neglexerint aureorũ trium locis pijs applicandorum pœna; ſacerdotes vero, & cæteri omnes in ſacris ordinibus exiſtentes ſuſpenſione præterea, & alijs arbitrio noſtro mulctabuntur.

Hac eadem Proceſſione ſed generali, & per Ciuitatẽ Synodi celebratio, qua die erit aggredienda inchoabitur, vt ab orando omnis noſtra actio incipiat, & poſtulando, quatenus is qui dat omnibus affluenter, & non improperat ſua nos in omnibus gratia præueniat, comes ſit, & conſequatur.

Ad Synodum Parochi omnes deferent quæ ſequuntur: Nomina beneficiornm omnium infra Paretiæ ſuæ fines conſtitutorum quocunque ea no-

mine

mine nuncupentur; eorundem redditus, et Rectores pro tempore exiſtentes : Annotatos in cartula abuſus qui in Populis eorum fidei cōmiſſis ſunt: omnium Eccleſiaſticarum perſonarum infra Parochiæ terminos degentium nomina, mores, ætatem, & ſtatum omnem: Qui nam apti ſint, & idonei qui in ſeminarium noſtrum admittantur: ſodalitatum in Ecclesijs ipſorum erectarum administrationem; & quæcunque in Rubrica de Parochis, præcepimus vt ineunte Quadrageſima ad nos deferant.

Synodi Dioceſanæ iuuante Deo quotannis ineundæ de moreque in Eccleſia noſtra Cathedrali celebrandæ diem certum ſtatuimus, & decernimus feriam quintam poſt Dominicam ſecundam Paſchæ Reſurrectionis Domini: id vero niſi ſtatam eam ſynodalem actionem pro temporum cauſarumquæ ratione aliquando alio tempore celebrandam eſſe Epiſcopali noſtra authoritate indictum ſit; eius autem conſtitutæ ſynodalis diei atque adeo Synodi diœceſanæ indictionem omnino ratam & firmam eſſe volumus tantumque roboris habere hoc decreto ſancimus quantum ſi Edicto publico indicta eſſet; quem certum cōſtitutum diem in calendarium anniuerſarium loco ſuo referri ac notari decernimus & eundem in Epipha

nia Domini in Cathedrali nostra Ecclesia in missa sacro solemni post Euangelij recitationem, vna cum reliquarum solemnitatum denuntiatione indici & significari mandamus.

Synodum quilibet Clericus habeat.

ET *quoniam (teste scriptura) ignorans ignorabitur, & qui ignoranter peccauerint, ignoranter itidem condemnabuntur: Idcirco vt ea omnia quæ præsenti synodo per nos statuta fuerũt, executioni demandentur, ac ne quempiam eorũm ignoratio excuset; omnibus & singulis Ciuitatis, & Diœcesis nostræ Clericis beneficiatis, siue non beneficiatis, etiam prima dumtaxat tonsura initiatis, ad sacerdotes vsque inclusiue, vt statim ac præsens synodus typis tradita ac diuulgata fuerit, eam infra Mensem post eiusmodi publicationem habeant, præcipimus. Illudque sciant quod ad vlteriores Ordines, aut vlla Beneficia minime admittentur nisi & libellum synodi nobis præsentauerint, & in ea quæ ad quẽlibet ipsorum spectent, optimè nouerint, & ritè fuerint exequuti. Sacerdotes verò & Parochi tamdiu a suorum ordinum executione, & Beneficiorum administratione*

suspensi

ſuſpenſi perſiſtant, quamdiu ſynodum, elapſo ſupradicto Menſe non habuerint.

De Monialibus.

EDictum alias de Monialibus per nos æditum confirmantes illud mandamus legi in Cathedrali, & alijs Eccleſijs parochialibus die in calendario præſcripto.

Ne ſacro aduentus & quadrageſimæ tempore ac ſanctorum vigilijs, & tribus litaniarum, feſtiſque diebus de præcepto ſeu conſuetudine, deuotioneve Ciuitatis cuiquam Moniales inuiſere, & cum earũ aliqua ſtatis illis collocutionis locis colloqui liceat, niſi ob grauiſſimam & neceſſariam cauſam nobiſque probatam, eisdem hac de re facultatem ſcripto dederimus.

In hacque ſynodo diœceſana pro paſtoralis curæ noſtræ officio, proque religioſæ earum diſciplinæ ratione vſque hæc cõſtituenda cenſuimus ſummorum Pontificum, & œcumenicæ Tridentinæ ſynodi auctoritatem ſecuti.

Primo quidem de Monialium etiam earum, quæ conuerſæ vocantur, clauſura ſanctiones Pontificias Pij Quinti, & deinceps Greg. xiij. quam diligentiſsimè, atque adeo inuiolate ſeruari edi-

cimus ac mandamus, quam ob causam illas in singulos annos semel dominica prima Aduentus iterumque quadragesimæ initio, non solum Monialibus in vno quoque Monasterio legi, sed etiam in qualibet ecclesia parochiali promulgari volumus, quò in illis seruandis diligentiores sint, cum maximè animaduerterint grauissimas ijs pœnas constitutas esse, qui eius generis præcepta pontificia violarint.

Singulis Monasterijs pro eorum cuiuscunque facultatum ratione, proque eleemosynarum consuetarum modo, eum certum numerum (adhibitis etiam ad id cuiusq; Monasterij protectoribus) cōstituimus, qui commodè pro census reddituumque portione sustentari queat, sicut constitutionibus Pontificijs, et decreto Concilij Tridentini cautum est; id vero vt in executionis vsum inducatur numerum infra notatum vnicuique Monasterio in Vrbe sito præscribimus.

Monasterio S. Antonij Moniales.	*115*
S. Augustini.	*80*
Monast. domus albæ.	*60*
S. Siluestri.	*80*
S. Catharinæ Martyris.	*120*
S. Catharinæ de Senis.	*75*
S. Monicæ.	*50*

sancti

S. Rochi.	*60*
Corporis Chriſti.	*70*
S. Bernardini.	*50*
S. Viti.	*65*
S. Gulielmi.	*80*
S. Luciæ.	*40*
S. Gabrielis.	*60*
S. Mariæ de mortaria.	*60*

Quibus omnibus ſynodali hoc decreto adeo manifeſtè prouidere volumus, vt in perpetuum vnicuique conſtet quot moniales ſingula monaſteria ſuſtentare poſſint, ac prӕterea ſciãt omnes, quӕ ſupra prӕſtitutum numerum Monaſteria ingredi voluerint, non ſolum eleemoſynam, quam dotalem appellant lib. 2000. erogandam, ſed ſi opus fuerit alimenta etiam neceſſaria ſubminiſtranda, ne inde monaſteria detrimẽtum aliquod patiantur.

Hunc autem numerum conſtitutum augeri nullo modo liceat niſi cenſus, qui ſatis ſit acceſſione annua facta, quam nobis ex certa ſupputatione notam teſtificatamque fieri volumus.

Proinde id peculiari decreto cauendum neceſſariò exiſtimamus ad omnes fraudes doloſque tollendos, qui quotidie contra Tridentinam conſtitutionem tum a Prӕfectis monaſterij, tum à Virginum conſanguineis grauiter committuntur.

Ne Moniales antequam puella, quæ regularem earum habitum susceptura est, solemnem professionem confecerit ab eius parentibus, consanguineis, curatoribus, alijsve, quibus ipsi tamen ob eam causam sponsione caueant, pecuniam mutuò aut depositi alteriusve contractus nomine accipiant, grauissimam alioquin anathematis pœnam ex Conc. Trident. decreto tam dantes, quam recipientes eo ipso subibunt, aliasque item pœnas ad Pij Quinti constitutionis eam ob causam æditæ præscriptum.

Quo vero libera voluntas puellarum, quæ Monasterium aliquod ingredi volunt, vt in eo Deo deseruiant, magis exploretur; statuimus, vt postquam ad hoc per nos, seu iussu nostro examinatæ fuerint, per annum integrum sub obedientia Cõfessarij a nobis ipsis deputandi persistant, antequã ad dictum Monasterium de licentia a nobis prius obtinenda introducantur.

Et ut Monialium huius Ciuitatis regimini magis consulamus, immediate hic subijci, & imprimi mandauimus, quæ tum a fœlicis recordationis Gregorio xiij. & Sixto Quinto Pontificibus maximis, & a sacra Regularium Congregatione, & a nobis, hac de re statuta, & decreta emanarunt.

Ordini mandati dalla Santità di N.S.Papa Gregorio xiij.Da oſſeruarſi dalle monache della Città di Ferrara.

POiche il Priore ordinariamente è occupato nella cura de' Frati, & del Conuento, & non può attendere con quella vigilanza, che ſi doueria, Però N. Sig. vuole, che habbi queſta cura il Confeſſore delle Suore, al qual ſi ſpetti di fare eſſequire gli Ordini, che ſi fanno alla giornata, & à lui tocchi di rendere conto d'ogni coſa, reſtando ſolamente al Priore la ſopra intendenza; Et vuole ancora, che il Confeſſore ſia anco Capellano delle Suore, & habbi vn Compagno Conuerſo delli vecchi, & ch'altri Frati non poſſino mai andar al Monaſtero, nè delle loro, nè di altra Religione, ſenza eſpreſſa licenza del Veſcouo in ſcritto, ſotto pena di Scommunica ad arbitrio del Veſcouo: ilquale adeſſo per allora dichiara che chiunque contrauenirà a queſto Ordine, debba ipſo facto incorrere.

Ordina parimente, che nelli Monaſteri grandi, doue foſſe neceſſario più d'vna meſſa, maſſimamente nelli giorni feſtiui, il Confeſſore del monaſtero deputi vn'huomo maturo per dire altra Meſſa, quale non habbi da parlare a Suora alcu-

na, ne intromettersi in altro, sotto le pene soprascritte.

Et per leuare l'occasioni de ragionamenti, vuole, che il Confessore tenghi dal suo lato gli Paramenti cottidiani per dire Messa, come Calice, Camisi, Pianeta, & altre cose necessarie al sacrificio dell'Altare.

Et vuole ancora, che per nissuna occasione di festa, ò d'altro le Suore faccino Banchetti a Frati nel loro Monastero: ma nelli giorni della solennità donino più tosto delli denari, che da Monsignor Vescouo sarà ordinato, al Priore, per far piatanza alli Frati nel loro Refettorio; & che in nissun tẽpo li Frati mangino mai, nè faccino colatione alli Monasteri delle Suore, sotto le pene come di sopra.

Et non vuole, che nissuno vadi ad insegnare a Monastero, nè canto, nè suono, nè altro, & le Suore non suonino altri istromenti, che l'Organo, ò Appicordo; non prohibendosi però, che le Suore non possino cantar ne i loro Monasteri, se sanno di Musica; & che per la morte di qualunque Suora non posi entrar dentro, se non il Confessore, col suo cempagno, ò dui, & che nessuna mandi a donare alcuna cosa, nè grande, nè picciola, nè da mangiare, nè altro alli Frati, nè le lauino al-

cuna ſorte di pãni, nè meno i Frati donino alle Moniche, ſotto le pene ſudette.

Che non faccino mazzoli di fiori per mandarli fuori alli Frati, ne tenghino Cani ſuoi, ne d'altri; che non ſcriuano littere alcune, ne riceuano d'altri, ſe prima non ſiano preſentate, & lette da l'Abbadeſſa, ò Priora, che niſſuna Suora parli sù le porte del Monaſtero, ch'eſcano fuori, nè con donne, nè con parenti, nè con altri. Che nel Carnouale, ò in altro tempo non poſsino ueſtirſi da ſecolare, nè mutare le loro veſtimenta della profeſsione, ſotto pena d'eſſer priue del velo, & altre ad arbitrio, come di ſopra.

Che ritrouandoſi in alcun Monaſterio numero ſuperfluo di Monache, oltra quello che già è ſtato determinato, non ſe ne riceuano più, ſin che non ſiano ridotte a detto numero.

Che le putte già accettate, oltra il detto numero, & che ancora non ſono entrate nelli Monaſterij, non vi ſi laſcino altramente entrare.

Che quelle, che già vi fuſsero entrate per monachare, & non ancor fuſſero veſtite, ſi rimandino à Caſa, con la dote, che forſi haueſsero pagata; ſaluo ſe la dote non ſi ſuppliſse ſino alla ſomma determinata, o da determinarſi, che poſsi baſtare commodamente per vna bocca.

Che le putte vestite, & non ancor professe, sopravanzando il numero già determinato non si admettano alla professione, sin che non s'augumenta la dote, secondo le facultà.

Che giudicando il Vescouo essere espediẽte, che alcuna putta si riceuesse ne' Monasterij, oltre il numero prefisso, non si debbi permettere, che ella vi entri, ò facci professione se non desse tanta dote in beni stabili, o in censi certi, & legittimi, del frutto de quali commodamente detta monaca possi viuere; ò ch'essa desse tanti denari da comprare altretanto stabile, o censi, et che con effetto si comprino; & di più che s'oblighino i loro più stretti parenti efficacemente a pagare vna certa somma ogni anno, secondo la qualità del Monasterio, ad arbitrio dell'Ordinario, & Superiori di esso.

XISTVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Regimini vniuersalis Ecclesiæ Diuina dispositione præsidẽtes, vt in Monasterijs Monialium cuiuscunis Ordinis clausura inuiolata conseruetur, ipsaque Moniales sponso suo Christo, cui voto perpetuo se dedicarunt, prout decet, sanctè & liberè famulari possint, nosque alacrius illarum rationem in extremo Iudicio valeamus reddere: Motu pro-

prio, & ex certa noſtra ſcientia, hac noſtra Conſtitutione perpetuò valitura ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero quicunque Regulares quorumcunque, etiam Mendicantium Ordinum, nō audeant accedere ad Monaſteria Monialium, cuiuſcunque Ordinis, Ciuitatum, & Diœceſum, aliorumque quorumcunque locorum Ducatus Ferrarienſis; etiam ſi illarum curam gerant, & eorū iuriſdictioni ſint ſubiectæ; excepto illarum Confeſſario & Superiore, ſeu Viſitatore Ordinis, cum vno ſocio prouectæ ætatis. Et hi non poſſint ingredi clauſuram Monaſteriorū, niſi quando ſit viſitatio Monaſterij intra clauſuram huiuſmodi. Ac præfati Confeſſarius, ſuperior, ſeu Viſitator, teneantur pro omni & quocunque exceſſu, ſeu delicto, & ſi quem vel quod dictus ſocius perpetrauerit. Quòdque Confeſſarij deputentur hi qui ætate & moribus ſint approbati: Ac Ordinariorum ab eorum ſuperioribus; extraordinariorum vero Confeſſariorum a pro tempore exiſtentibus Epiſcopis Ciuitatum Ducatus huiuſmodi, ſeu eorum in ſpiritualibus Vicarijs generalibus approbatio fiat: Superiorque & Confeſſarius præfati nō poſſint accedere ad aliud Monaſterium, præterquam ad illud cuius curam habent; & ad ipſum etiam non accedant, niſi pro munere ſui officij, & euis

exe-


exequutiones, & occurrentibus casibus, ac necessitatibus Monialium & Monasteriorum huiusmodi. Confessarius verò quotidie pro celebratione Missarum, & Ecclesiasticorum sacramentorū administratione; nec secum adducat nisi vnum socium. Monialesque prædictæ non possint munera aliqua Regularibus præfatis dare, nec ipsi Regulares illa recipere. Et quòd liceat ipsis Monialibus proponere coram Episcopis, seu eorum Vicarijs querelas, si quas habent, cōtra dictos Superiorem, & Visitatorem super concernentibus clausuram interiorem vel exteriorem, sine aliquo censurarum incursu.

Districtius inhibentes omnibus, & singulis Regularibus & Monialibus præfatis, sub pœnis, arbitrio dictorum Episcoporum pro modo culpæ imponendis, & moderandis, ne præmissis contrauenire audeant, vel præsumant; non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Ordinum eorundem, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, Monasterijs præfatis, illorumque Superioribus, & personis per quoscunque Pōtifices prædecessores nostros, ac nos, et sedē Apostolicam, etiā

motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritantibuſque & decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiã pluries approbatis & confirmatis, & innouatis; illis aliàs in ſuo robore permãſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Volumus autem quòd præmiſſa omnia & ſingula notificentur dilectis filijs modernis, & pro tempore exiſtentibus Generalibus Ordinum, vel alijs Regularibus, ſuperioribus; a quibus etiam Moniales huiuſmodi de præmiſſis admoneantur; quòdque præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus in Iudicio, & extra fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, Die vltima Maij. 1586.

Tho: Tho: Gualteruccius.



De-

Decretum Quo Religiosi ad Monialium Monasteria cuiuscunque Ordinis accedere prohibentur, nouissimè reformatum.

ILlustrissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales Sacræ Regularium Cõgregationi Præfecti. Ad occurrendum scandalis quæ contingere possunt, alijsque iustis & rationabilibus causis animum ipsorum pie mouentibus, de speciali, & expresso mandato. S.D.N.D. Sixti Diuina Prouidentia Papæ Quinti viuæ vocis oraculo eis facto, decreuerunt, & mandauerunt, nulli posthac Religioso, cuiuscunque ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat (Superiore, cui Monasterij seu Domus cura incumbit, Visitatore vel Visitatoribus, Confessarioq; ordinario & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis) licere absque licentia expressa eiusdem sacræ Congregationis, accedere ad Monasteria, seu domus quarumcunque Monialium vel sororum, siue sui, siue alterius cuiusuis Ordinis, ad colloquendum siue tractandum cum eis. Quòd si aliquando, mandato sui superioris aliquos Religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu sororum Ecclesijs,

ſijs, ſiue Oratorijs exterioribus, ſiue extra clauſtra exiſtentibus mitti contigerit; prohibuerunt ne dicti Religioſi, vllo quæſito colore, Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam perſonã intra Clauſuram degentes alloqui poſſint: Confeſſarijs autem ſimiliter interdixerunt ne in ædibus Monaſterij, ſeu Domus, vel Monaſterio, ſeu Domui Monialium aut Sororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alios ſecum retineant, neue extra tempore generalium Confeſſionum, (quibus ſoli tantùm Confeſſario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum, videlicet, cum ſua habitatio, aut viror domus, vel Monaſterium in quo degit, a Monialium, ſeu ſororum Monaſterio uel Domo nimium diſtat, niſi tamen & eo caſu contrarium ſpecialiter ſit conſtitutũ) ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum ſumant. Quæ omnia & ſingula ſub pœnis priuationis Officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ; ipſo facto incurrẽdæ. alijſque eiuſdem Congregationis arbitrio, præceperunt inuiolabiliter obſeruari. Iniungentes cunctis RR. Patribus Generalibus, Prouincialibus, & alijs quorumuis Monaſteriorum, & Mendicantium, ac nõ Mendicantium Ordinum, & Congregationum Superioribus ad quos ſpectat, quatenus intra ter-

minum vnius mensis a die quo præsens Decretum ipsis notificatum fuerit computandis, debeāt eiusdem Decreti copiam cum huiusmodi præcepto, omnibus suorum Ordinum & Religionum Monasterijs, Domibus, & Conuentibus intimare & notificare, ac intimasse & notificasse; ne vllam aliquando desuper ignorantiam in futurum allegare aut prætendere quoquo modo possint. Romæ Nonis Maij. 1590.

Fr. Michael Bonellus Card: Alexandrinus.

Georgius Palearius Secretarius.

Romæ, Apud Paulum Bladum, Impressorem Cameralem. 1590.

Editto pertinente alla clausura delle Monache di Ferrara.

IOANNES, DEI, & Sedis Apostolicæ gratia Sanctæ Ecclesiæ Ferrariensis Episcopus.

H*Auendo Noi, come ricerca l'officio nostro Pastorale, continuo, & ardentissimo zelo della salute delle anime commesse dalla grande, & immensa bontà di Dio N.S. alla cura, & sollecitudine nostra: pēsiamo tuttauia di procurare sem-*

pre cioche poſſa con le deboli fatiche noſtre portarle giouamento ſpirituale, & di promouere occaſioni, & materie di mantenere piu che ſia poſſibile nel diuino amore, & timore, ogni qualità di perſone, & liberarle, per quanto tocca a noi, da ogni occaſione, che poſsa dar impedimento alla interna pace, & quiete, che aſsiduamente bramano quelli, che non hanno da occuparſi in coſa alcuna piu efficacemente, che di ſeruir a Dio, come dobbiamo far tutti, ma piu frequentemente le ſacre Vergini, le quali rinontiando a tutte le vanità di queſto miſero mondo pieno di tanti inganni, ſi conſacrano con voti perpetui al celeſte ſuo ſpoſo Chriſto noſtro Saluatore ne i ſacri monaſterij. Noi dunque per aiutarle tanto piu in queſti ſanti, & deuotiſſimi proponimenti, & inſtituti, oltre quello, che preſto ſtabiliremo intorno al reſto della inuiolabile Clauſura loro, alla quale hora attendiamo. & che di più decreteremo nella uiſita noſtra perſonale. Ordiniamo, & prohibiamo col preſente noſtro Editto in virtù dell'auttorità noſtra ordinaria, & di qualunque facoltà a noi conceſſa dal Sacro Concilio di Trento, & conſtitutioni Apoſtoliche, & dal Breue particolare conceſſo qui dalla Santa Sede Apoſtolica, & altre declarationi della Sacra Congregatione del Concilio di Trento, che

persona alcuna Ecclesiastica, Secolare, & Regolare, & Laica di qual si voglia grado, & conditione tanto Huomini, quanto Donne, di qual si voglia età, che non ardischi, ne presumi sotto alcun colore, ò pretesto di giorno, ne di notte, entrare nella clausura d'alcuno monasterio, anco soggetto a Regolari, se bene fossero dell'istesso ordine, ò d'altro, senza licenza in scritto, segnata da noi, ouero in assenza nostra dal Vicario nostro Generale; eccettuamo però solamente il loro confessore ordinario, il qual parimēte debba essere approuato da noi, come si commanda nel sudetto Breue, & anco il Superiore, ne i casi di somma necessità, e questi tutti habbino le sue Patenti, ò fedi fatte da chi fra loro toccherà, a fine, che dalli essecutori non le sia data molestia alcuna; & similmente i Medici, Barbieri, & altri di casi di necessità, quali debbano hauer licenza da noi in scritto, & a ciascuno, che cōtrauenirà in questa parte di Clausura, imponiamo la pena della scommunica da incorrersi ipso facto, l'assolution della quale è riseruata alla Sede Apostolica, & altre pene arbitrarie a noi, & di quelle statuite dal sacro Concilio di Trento, & dalle altre constitutioni pontificie. Et prohibiamo espressamente, che nissuno superiore Regolare possa dar licenza nè d'intrare, nè d'andar a mona-

ſterio alcuno ſoggetto a loro. Ordiniamo ſotto la medeſima ſcomunica da incorrerſi ipſo facto, che niſsuna Citella poſsa intrare, nè eſser accettata, nè anco con ordine di qualſi voglia Superiore Regolare per educatione, ſenza legitima licenza da eſser eſsibita a noi, che delibereremo quanto ſarà eſpediente, & officio noſtro, & douendo noi ſopraintendere, ſe tutte quelle, che hora ci ſono hanno detta licenza, & ci ſiano quelle conditioni preſcritte dalla ſacra Congregatione di Roma, Commandiamo a tutte le Superiore de noſtri monaſterij, & de Regolari, che in termine di otto dì, debbano mandare nelle mani noſtre la liſta d'eſſe Citelle, & la licenza, per virtù della quale le haueranno accettate, & l'età loro, & quanto pagano di dozzena, altrimente daremo ordine, che ſotto le medeſime cenſure ad eſſe Superiore, & alle Citelle, che ſiano rimeſſe alle caſe loro.

Commandiamo parimente a tutti gli Eccleſiaſtici Secolari, che ſenza licenza noſtra in ſcritto, non poſsino andare a monaſterij alcuni, ſotto pena della carcere di longo tempo, per la prima volta, & della ſuſpenſione ipſo facto à Diuinis, & di ſcudi ducento, applicati a luochi pij di queſta Città, e ſe contraueranno piu d'vna volta, procederemo alla priuatione de beneficij, & altre pene arbi-

trarie: Alli Regolari facciamo la medesima prohibitione, che non vadino a qual si voglia monasterio, ne posino parlare per qual si voglia luoco, a Monache, nè a Citelle, che si trouino in essi monasterij, sotto le pene, & censure contenute nel decreto della sacra Congregatione di Roma fatto del mese di Maggio prossimo passato, & anco di altre pene, che arbitraremo noi, per la special facoltà, c' habbiamo dalla santa Sede Apostolica, & particolarmente della prigione, dalla quale non saranno relassati, fin che non hauremo ordine preciso da essa sacra Congregatione: ci contentiamo però, che si come i Confessori, & Superiori Regolari le possono andare liberamente, per i casi permessi loro, cosi posano anco mãdare altri Religiosi del monasterio loro solo, per celebrare la santa Messa alle monache, ma prohibiamo però, che questi, che anderanno per tal causa, posino parlare con monacha alcuna, ne altri, che stia in Clausura, ne anco intrare in altro luoco, che in Chiesa sola. Ordiniamo ancora, che gli Confessori de' nostri monasterij, & anco delli Regolari, non possino confessare, ne intrare in monasterij doppo l' Aue Maria, ne anco la mattina prima del leuar del Sole.

Prohibiamo similmente, che nissuno di qual si voglia età, & sesso, & grado posi andar a parla-

re, ò trattare a porta, ne a grate, ne a Ruota, ne a parlatorij ſenza licenza in ſcritto à qual ſi voglia Monaca, ò Abbadeſſa, Priora, ò altre ſuperiori, ò altre Citelle, che per educatione ſi trouino in qual ſi voglia monaſtero della Città; eccettuando però quelle Donne, che porterãno Elemoſine ad eſſi monaſterij, o hauranno negotij de lauori da trattare con le Monache, & in queſti caſi poſsino parlare ſolamente alla Ruota, & eccettuamo ancor i Padri, & Madri, & gli Aui, quali vna volta, o due al Meſe poſsino parlare alle figliuole loro, & gli ſeruitori loro per andar alle Ruote, & de quali ci daranno i nomi loro in ſcritto, & gli Sindici, Auuocati, & Procuratori, & Notari ſalariati con le Abbadeſſe, & altre Superiore, per le cauſe pertinenti a monaſterij. Alli altri Laici tanto huomini, quanto donne poi, ch'anderanno contra la forma del preſẽte Editto imponiamo la pena della ſcõmunica ipſo facto, et altre pene arbitrarie. Et al le Abbadeſse, & altre Superiore, che admetterãno perſona alcuna a viſite, & a parlamẽti, ſenza det te licẽze, imponiamo la pena della priuatione dell'Officio, & della ſcommunica, & alle altre la prohibitione di non parlar piu con altri, & altre pene a noſtro arbitrio, & delle medeſime cenſure, ſotto lequali pene le commandiamo preciſamente,

che mai admettino alcuno a parlar con loro, se nõ nelli Parlatorij, & alle Ruote; ne mai alla Porta, ne altri luochi.


Essendo poi le sacre feste dedicate specialmente all'honore, et culto diuino, prohibiamo che nissuno di qual si voglia conditione, & anco delle persone concesse di sopra possa andare in giorno alcuno festiuo a monasterio alcuno, per parlar, ne dare occasione di perdimento di tempo alle Monache, quali deuono (come vogliamo) astenersi in quel tempo dalle Grate, & Porte, & Rote, & Parlatorij in tutto, & per tutto, & non accettino visita alcuna di qual si voglia persona, eccettuate però quelle Donne, che portano elemosina, quali elemosine, & altre cose ordiniamo, che si diano alle Portinare solo: il medesimo ordiniamo, che si osserui anco ne i giorni feriali per tutti i sacri tempi dedicati alla santa Penitenza, cioè tutto l'Aduento, & la Quaresima, ne i quali tanto piu frequentemente si debbano essercitare nell'Oratione in commune, & in particolare, cantando i diuini officij deuotamente, & distintamente, secondo il consueto della Santa Chiesa nel Choro, oue con esse sono gl'Angeli del Cielo inuisibili, ma non alle Ruote, & Porte, & Parlatorij doue si fanno tanti peccati di riferire fatti, & parole d'altri, & con tante vane,

& otiose

& otioſe parole, delle quali tutti debbono renderne ſtrettiſſimo conto a Dio; Concediamo però, che i Sindici, & altri ch'hanno da trattare coſe pertinenti a monaſterij, le poſſino andare ne i giorni feriali de ſudetti tempi.

Atteſa poi la pouertà tanto grande d'alcuni Monaſterij, oltre l'aiuto, che ſi darà in diuerſi modi, & con elemoſine, delle pie, & deuote perſone; Comãdiamo preciſamente in eſecutione della medeſima particolare authorità Apoſtolica, & del ſudetto Decreto della ſacra Cõgregatione, che niſſuna Monaca priuata, ne Abbadeſſa, ne qual ſi voglia altra Superiora di qualunque ſi ſia Monaſterio poſſa donare, ne dare, ne mandar qual ſi voglia minima coſa anco da mangiare, ne da veſtire, ne fiori à perſona alcuna, Eccleſiaſtica, Secolare, ne Regolare, & particolarmẽte à quelli di chi ſono ſuggette, & preciſamente ancora al Confeſſore, ò altro Superiore, ò priuato, à quali ſimilmente è prohibito anco la refettione dalla Sacra Congregatione, & tanto più in queſta Città, che poſſono andare & ritornare à caſa commodamente; alle Superiori de' Monaſterij, ſe daranno, ò mandaranno coſa alcuna, imponiamo la priuatione dell'officio, ipſo facto, cõ prohibitione, che mai più poſſino eſſere elette à grado alcuno; alle altre Mo-

nache la priuatione di voce attiua, & passiua in Capitolo, & altre pene arbitrarie: alli Ecclesiastici Secolari, che accetaranno, la suspensione à diuinis, & di venti cinque scudi: a Regolari, che accetteranno, o grauaranno le Monache di spesa alcuna la suspensione à diuinis, & la priuatione delli officij loro, & della sudetta voce attiua, & passiua in Capitolo, & restitutione di quanto haueranno riceuuto, ò danneggiato, & altre pene arbitrarie. la medesima pena imponiamo ancora alle Monache, & altri Ecclesiastici, che si scriueranno lettere: Permettiamo però, che esse Monache possino far pagare la elemosina delli Ecclesiastici, Secolari, et Regolari, che celebraranno nelle Chiese loro, ma non passino la somma di lire cento Marchionali l'anno; Decretiamo, che il presente Editto affisso alle porte del Duomo, & del Palazzo nostro Episcopale, & delli Monasterij della Città, & altri luoghi publici lighi, & habbi la medesima forza, & effetto, che haurebbe se fosse personalmente intimato à ciascuno: Di Vescouato alli 6. di Nouembre. M. D. XC.



De

De Eleemoſynarum, aut bladorum quæſtoribus.

VSu compertum eſt, plerunque nonnullos, Diabolica ſuggeſtione habitum exteriorem ementitos, ſub Religioſis etiam Monialium veſtibus, vagos huc & illuc perperam eleemoſynas à Chriſti fidelibus extorſiſſe, & viduarum domos penetrantes, pleraque etiam dictu indigna commiſiſſe: idque ſolo religionis exteriori prætextu, cùm à ſimplicioribus quales eſſet intrinſecus minime cogniti, in veſtimentis ouium, eſſent lupi rapaces. Cui malo prouidere cupientes, Parochis omnibus ruralibus diſtrictè præcipimus, ne infra eorum Parochiæ fines, quenquam vllo vnquam tempore, vllo habitu ſiue prætextu, quæſtuare, aut eleemoſynas petere, ſiue blada, aut alia quæcunque perquirere permittant, non viſis per ipſos patentibus litteris noſtris per quas illis facultas fiat ita quæſtuandi.

Acclamationes Cleri Ferrarienſis in Synodo. Anni 1592.

Lector.

DEO Patri Miſericordiarum & Deo totius conſolationis, gratiæ.

Cle-

Clerus respondet.

Immensa est misericordia tua super nos Domine qui Conciliorum exercitationibus recta Iustitia tua tramitem, & disciplina regimen iugiter docere dignatus es; tibi laus, tibi honor, tibi gloria in saculum, & in aternum.

Lector.

Beatissimo Clementi Papa, & Domino nostro sanctaq; vniuersalis Ecclesia Pontifici cũctarum gentium obedientia, et Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Clerus respondet.

Domine Deus Sanctissimum Patrem gratia tua custodi, vt te gubernante, gentes sancto vera fidei lumine perfusa in vnum Ecclesia tua ouile colligantur.

Lector.

Serenissimo Principi nostro Alphonso Christiana pietatis amatori perpetua fœlicitas.

Clerus respondet.

Aeterna Deus Serenissimum Principem nostrum Alphonsum in amore tuo conserua, vt cœlesti gratia tua auctus omni tua benedictione perpetuo dilatetur.

Lector.

Reuerendiss. Episc. nostro salutaris vigilãtia.

Clerus reſpondet.

Omnipotens Deus ſupet Antiſtitem noſtrum benedictionum tuarũ dona perpetuo multiplica.

Lector.

Deuoto populo Ferrarienſi pax Chriſti æterna.

Clerus reſpondet.

Memento Domine Deus in beneplacito populi tui Ferrarienſis, ac perpetuum tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Lector.

Nos Dei voluntatem explentes & ſancta Decreta in omni opere bono exequentes digni reddamur miſericordia, & gratia, magni & ſupremi Sacerdotis Ieſu Chriſti Dei, intercedẽte ſimul beatiſſima eius Genitrice Virgine Maria, ac beatis Martyribus Georgio, & Maurelio Patronis noſtris, & omnibus Sanctis.

Clerus reſpondet.

Amen. Amen.

Regulæ ſodalitatis nominis Dei, ſeu iuramentorum, & Bulla Pij IIII. Pont. Max. cum Indulgentijs eidem ſodalitati conceſſis.

HAec ſunt præcipua capita ſodalitatis Nominis Dei, ſeu iuramentorum, quæ ad cauendam blaſphemiarum, & periuriorum prauitatem, alioſque temerè iurantium abuſus, à quibuſdam religioſis Ordinis Prædicatorum inſtituta fuit, cui Pius fœl. Rec. Papa IIII. multas Indulgentias, aliaq; Priuilegia conceſſit, quorum exemplaria ad veritatẽ excuſſa cũ his tradũtur.

Primo vnuſquiſque eorum, qui huic cõfraternitati adſcribuntur, ſummo ſtudio, omniq; circumſpectione cauere debet, ne glorioſum Dei nomen, aut ſanctorum in vanum aſſumat, & vt id ſecurius adſequatur, attendere ne vnquam iuret omnino, niſi aut iuſta neceſſitas, aut fraterna charitas, aut ſuperioris auctoritas exigat, iuxta illud, Nolite iurare omnino, & ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non. Quòd ſi aliquando abſque huiuſmodi cauſa iurare contingat, à ſe ipſo pœnas exigat, vel elargiendo Eleemoſynam, vel dicendo orationem Dominicam, aut ſalutationem Angelicam, vt hac veluti pœna in poſterũ cohibeatur.

Si quis

Si quis vero eorum ſanctum Dei nomen blaſphemauerit, aut Beatiſſimæ Virginis, aliorumve ſanctorum ſolent huius regulæ confratres Eccleſiam eo die, ſi commode poſſint, adire, & flexis genibus, & procumbentes veniam petere, dicentes ter Dominicam orationem cum ſalutatione Angelica, & inferentes aliquam eleemoſynam in locum ad hoc deputatum.

Secundò ſi aliqui horum confratrum ſunt Patres familias, filijs, atque domeſticis ſerio præcipiant, ne nomen Domini indigne ab eis aſſumatur, & quos intellexerint in hoc deficere paterne admoneant, & corrigant, vt tandem a proprijs ædibus deteſtabile hoc vitium eliminetur.

Tertio ſi quando extraneos, aut blaſphemantes aut temere iurantes audierint, quando ſecundum prudentiam vtile futurum exiſtimabunt, debent modeſtè, ac benignò eos admonere, quoties eius rei neceſſitas fuerit, vt ſemper inter eos ſit, qui pro Dei nomine æmulari videatur.

Quartò huius Societatis confratres in die Circumciſionis Domini ſolent, & ſua peccati confiteri, & ſacram Euchariſtiam percipere, & feſtum glorioſi nominis Ieſu, quanta poſſunt ſolemnitate, celebrare. In qualibet autem prima Dominica cuiuſlibet menſis ſolent etiam ad Eccleſiam ab eis

electā accedere, & ante Missarū maiorū solemnia priuatam Missam in cōmuni audire, et priuatas Eleemosynas in vnum conferre, prout cuique placuerit.

Quinto communi horum confratrum, qui in aliqua ciuitate conscribuntur, assensu deliguntur duo viri probati, qui huic societati præsint, & assignantur eis alij tres, aut quatuor consiliarij, vt ea, quæ pertinent ad conseruationem, & promotionem huius Societatis in communi decernant, & singulis annis ab illis, qui præcesserunt, designantur; quorum est officium curare, vt hæ missæ priuatæ singulis mensibus non ommittantur, & festum Dominici nominis solemnius peragatur, aliter etiam præpositus clauem vnam, & vnus consiliariorum clauem alteram secum gerit illius capsulæ in quam eiusmodi Eleemosynæ, & iurātium pænæ inferuntur, vt tertio quoque mense in commune oblatam pecuniam effundant, & acceptam scripto referant, & eorum arbitrio expendatur, & pro stipendijs Sacerdotum celebrantium, & pro alijs necessitatibus subleuandis, maxime eorum, qui huic regulæ sunt adscripti.

Præter hæc autem capita, quæ præcipua sunt, & omnibus videntur posse conuenire, pro Regionum opportunitate poterunt alia superaddi, ma-

xime

xime accedente Reuerēdiſsimorum Epiſcoporum authoritate, quos huius regulæ socij vt ſingulares patronos, ac protectores, habere deſiderant.

Bulla Fe. Re. Pij Papæ 4. qua multæ indulgentiæ, & priuilegia conceduntur Sodalitati nominis Dei.

PIus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſtifidelibus, præſentes litteras inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Saluatoris, et Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei Patris Vnigeniti, qui pro redemptione generis humani de ſummo cælorum ſolio ad huius mundi infima deſcendere, & carnem noſtram ex vtero virgineo aſſumere, ac poſt peractum ad noſtram inſtructionem huius vitæ curſum in ara crucis prætium exoluere dignatus eſt, vices licet immeriti gerentes in terris, gregemque Dominicum noſtræ curæ diuinitus cōmiſſum ad vitā lucis æternæ perduci cupientes, iuxta creditum nobis Apoſtolicæ ſeruitutis offitium, fideles cunctos quorum merita pro demeritis penitus ſunt imparia ad mala euitāda ueraque ſolida bona amplexanda, ac altiſſimi viam ingrediendum, ſpiritualibus muneribus, Indulgentijs videlicet, & pecca-

torum remissionibus, frequenter inuitamus, vt fideles ipsi per deuotionis sinceritatem, & bonorum operum exercitium, abolita suorum delictorum macula, Diuinæ gratiæ pro mercede reddantur aptiores: Cum itaque, sicut accepimus, dudum dilectus filius Didacus de Victoria, frater conuẽtus. Sancti Pauli Burgen. Ordinis fratrum Prædicatorum, egregius verbi Dei prædicator, zelo diuini nominis permotus ad cauendos Iuramentorum, & blasphemiarum abusus vnam saluberrimam Confraternitatem sub vocabulo nominis Dei institui curauerit, cuius confratrum partes potissimum essent, certa etiam regula super hoc cõposita, omni diligentia cauere, ne vel ipsi, vel alij coram ipsis aliquo modo, nisi ob causam grauissimam, iurarent, & contrafacientes modestè admonerent, & qua in confraternitate in diuersis ciuitatis, & oppidis Hispaniarum rite instituta, & recepta, quam plurimi Christi fideles se illi cõscribi fecerint quorum opera, & studio blasphemiæ, atque periuria, & alia illicita iuramenta probibeantur. Cumque eiusdem Confraternitatis salutaris fructus ubique sit manifestus, Venerabiles fratres Episcopi partiũ illarum, eam, quibus possunt, fauoribus promoueant. Nos, vt dicta confraternitas in maiori semper reuerentia ha-

beatur, & Chriſti fideles eò libentius illam ingrediantur, quò ipſa amplioribus decorata ſpiritualium gratiarum donis, & Apoſtolicis fuerit ſuffulta priuilegijs, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius, auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis dictæ confraternitatis vbiuis terrarum, & locorum nunc, & pro tempora diffuſæ, vtriuſque ſexus confratribus in illa nunc, & pro tempore deſcriptis, vbilibet conſtitutis, ſiue ſub eiuſdem Confraternitatis regula prius ædita, ſiue ſub alia ſimili comprehendantur, qui aere pœnitentes, & confeſſi die feſto Circuncißionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti annis ſingulis, in perpetuum, ſacroſanctum Euchariſtiæ Saeramentum ſuſcepſerint, & ſolemnitati per ipſam confraternitatem dicto die feſto vbiuis locorum, pro tempore, celebrari ſolitæ in toto, vel in parte interfuerint, quoties id egerint, toties pro quolibet die feſto huiuſmodi plenariam omnium, & ſingulorum, & quorumcunque peccatorum ſuorum Indulgentiam, remißionem, & abſolutionem, prout in anno Iubilæi Eccleſias almæ Vrbis, & extra illius muros ad id deputatas viſitantibus concedi ſolent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, concedimus, & elargimur. Illis verò dictæ confraternitatis confra-

tribus, qui qualibet prima die Dominicæ cuiusque mensis totius anni, similiter in perpetuum, ad Missam, quam ipsi confratres audire teneantur: audiendam conuenerint, quotiescunque id egerint, decem annos, qui vero temere iurantem, aut aliàs Diuinum nomen blasphemantem, modestè, & charitatiue, quandocunque admonuerint, pro qualibet vice centum dies; & cuicunque verbi Dei prædicatori sæculari, vel cuiusuis ordinis regulari, qui Christi fideles, vt à Iuramentorum abusibus caueant, & hanc dictæ Confraternitatis regulam amplectantur, hortatus fuerit, decem annos, de iniunctis sibi pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta, misericorditer in Domino relaxamus, & vt ipsi confratres dictæ indulgentiæ plenariæ (Deo propitio) facilius efficiantur participes, illis, & eorum singulis indulgentiam huiusmodi consequi volentibus, vt dicto die festo Circuncisionis occurrente quoscunque sibi bene visos idoneos Presbyteros seculares, vel cuiusuis ordinis regulares, per ordinarium loci approbandos, in suos possint eligere confessores, qui confessionibus ipsorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet, ab omni, & a quacũque excommunicationis, etiam maioris, & ab omnibus, & quibusuis alijs Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure,

vel ab homine, aut mixtim quauis occaſione, vel cauſa latis, ſaluo tamen iure tertij, necnon ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcunque grauibus, & enormibus, etiā locorum ordinarijs, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, præterquam in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentis auctoritate Apoſtolica abſoluere, eiſque pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungere, ac vota quæcunque (Hieroſolymitano viſitationis liminum beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, & Iacobi in Compoſtella, necnon caſtitatis, & Religionis votis dūtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant ſimiliter auctoritate, & tenore præmiſſis perpetuo concedimus & indulgemus. Mandantes vniuerſis & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs cæteris Eccleſiarum Prælatis, et locorum Ordinarijs, vbilibet conſtitutis, eorumque generalibus in ſpiritualibus Vicarijs, & officialibus quòd vbi, & quādo opus fuerit, ac quoties pro confratrum prædictorum parte, fuerint requiſiti, eidem confraternitati prædictæ pro poſſe faueāt, fauorabiliter aſſiſtant, & illam promouere procurent, præſentibus, quas nunquam etiam per nos, aut alios quo-

ſcunque quomodolibet reuocari, ſuſpendi, limitari, reduci, modificari, aut eis in aliquo derogari poſſe, neq; ſub quibuſuis illarum, aut ſimiliũ, aut diſsimilium, indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus modificationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, in generè vel ſpeciè, per nos vel ſucceſſores noſtros aut ſedem præfatos, ſeu quoſuis alios, & ex quibuſcunque etiam vrgentiſſimis, & neceſſarijs cauſis, etiam pro fabrica baſilicæ Principis Apſtolorũ de Vrbe, Cruciata ſancta, vel expeditione contra infideles etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Principum, vel aliorum inſtantiam, ſeu eorum contemplatione, vel etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac aliàs quomodolibet canonice, vel de facto nunc, & pro tempore, impoſitis, & factis, vllatenus vnquam compræhenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabũt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas fore ac cenſeri decernimus perpetuis futuris temporibus duraturas. Volumus autem, quod ſi aliqua alia indulgentia fuerit per nos in aliquo loco eidem Confraternitati conceſſa, præſentes quo ad locum huiuſmodi nullæ ſint. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum,

Anno

*Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, quin-
gentesimo, ſexageſimo quarto. Ido Aprilis. Pon-
tificatus noſtri annò quinto.*

Sommario delle Regole, & Gratie della compagnia del nome di Dio, per correttione delle Beſtemmie, & de vani giuramenti.
Ampliata, & priuilegiata da Papa Pio Quarto.

PRimo i fratelli di queſta Compagnia attenderanno à non aſſumere in vano il glorioſo nome di Dio, o de' Santi, & ſchiferanno il giurare, ſe non ſaranno aſtretti da neceſſità, honeſtà, ò da Charità, ò da Superiori, & contrafacendo ſe ſteſſi penitentieranno dando limoſina, ouero dicendo il Pater noſter, ò l'Aue Maria; ma ſe non ſolo giuraſſero, ma beſtemmiaſſero il ſantiſsimo nome di Dio, ouero della Beatiſsima Vergine, ò de gli altri Santi ſi sforzerãno quel giorno andar alla Chieſa, & inginocchiati dir tre volte il Pater noſter, & l'Aue Maria, donando elemoſina nel luoco deputato dalla Compagnia.

Secondo, attenderanno ad eſtirpare queſte beſtemmie, & aſuntione del nome di Dio ſenza

causa fuor delle proprie case.

Tertio, se vdiranno alcuni estrani a bestemmiare, ò vanamente giurare; modestamente, quādo parerà loro opportuno gli faranno vna fraterna ammonitione.

Quarto i detti fratelli apparecchiati per la santa confessione, si communicharanno il giorno della Circoncisione del Signore; cioè il primo di Gennaro, & in ciascuna prima Domenica del Mese conuerranno alla Chiesa da essi eletta ascoltando la Messa, & poi trattando di quello, che sarà bisogno per la Compagnia.

Quinto si eleggano della Compagnia d'anno in anno due Presidenti huomini approuati, con tre, ò quattro Consiglieri per trattare le facende della Compagnia: de' quali Presidenti l'vno haurà vna chiaue, & vno de' Cōsiglieri vn'altra della cassa, oue si gettano i danari delle pene di detti bestemmiatori, o che giurano vanamente.

Priuilegi.

P*Rima i detti Fratelli, che veramente pentiti, & confessati il giorno della Circoncisione predetto si communicheranno, & saranno presenti alla solēnità celebrata da detta compagnia in tut-*

to, ò in parte, hauranno l'IndulgenZa plenaria di tutti i loro peccati, come conceder ſi ſuole l'anno del Giubileo.

Secondo, conuenendo i detti fratelli la prima Domenica del meſe alla detta Meſſa, hauranno dieci anni d'Indulgenza. Et ciaſchuno di detti fratelli, ch'ammonirà charitatiuamente vn beſtemmiatore, ouero vno che vanamente giuri per ciaſcuna volta otterrà cento giorni d'IndulgenZa. Et ciaſcuno Predicatore, ch'eſſorterà i Chriſtiani à fugir le beſtemmie, & vani giuramenti, & ad entrar in queſta Compagnia, haurà diece anni d'Indulgenza.

Terzo i detti fratelli occorrendo il detto giorno della Circonciſione, potranno pigliare in loro Confeſſori, ò Preti, ò Frati di qualunque ordine approbati dalli Superiori con autorità d'eſſer aſſoluti da tutte le Scommuniche, & cenſure, & caſi riſeruati anchor alla Sede Apoſtolica (ſalua però la ragion del terzo) eccetto i caſi riſeruati in Bulla Cœnæ Domini. Et anchora i detti Confeſſori nel detto tempo poſſano commutargli tutti i voti, eccetto quello di Gieruſalem, di S. Pietro, e Paolo in Roma, et di S. Giacomo di Galitia, et il voto di Caſtità, & di Religione, & rimetter i giuramenti, ſenZa però danno d'altrui.

Quarto, i detti fratelli nel tempo dell'interdetto nella festa di detta Circōcisione dal primo Vespro, insin' al tramontar del Sole del giorno, potranno far celebrar publicamente le Messe, & diuini officij nella Chiesa loro, & essergli presenti. Et nella prima Domenica del mese, essere presenti alla loro Messa, & si potranno communicare, et morendo infra questo tempo potrāno esser con honesta pompa sepolti, non hauendo dato causa all'interdetto.

Vltimamente se alcuno di questi fratelli corresse in heresia, ò scisma; ouer peccasse con pretesto di farsi assoluere, non potrà esser partecipe di detta assolutione da' casi riseruati.

Ex Decreto à Leone X. Pont. Max.

In Concilio Lateranensi sess. ix. ædito contra blasphemos, & de Indulgentijs ijs concessis, qui eosdem arguunt, & accusant.

AD abolendam verò execrabilem blasphemiam, quæ in maximum Diuini nominis & sanctorum contemptum supra modum inualuit, statuimus & ordinamus, vt quicunque

Deo palam, ſeu publicè maledixerit contumelioſiſque atque obſcænis verbis dominum noſtrum Ieſũm Chriſtum vel Glorioſam Virginem Mariã eius genitricem expreſsè blaſphemauerit, ſi munus publicũ iuriſdictionẽve geſſerit, perdat emolumenta trium menſium pro prima & ſecunda vice dicti officij. Si tertiò deliquerit, illo ipſo priuatus exiſtat. Si Clericus, vel Sacerdos fuerit eo ipſo, quòd de delicto huiuſmodi fuerit cõuictus etiam beneficiorum quæcunque habuerit fructibus applicandis vt infra vnius anni mulctetur, & hoc ſit pro prima vice qua blaſphemus ita deliquerit, pro ſecunda vero, ſi ita deliquerit & conuictus (vt præfertur) fuerit, ſi vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; ſi autem plura quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quòd ſi tertiò eius ſceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus ac beneficijs omnibus, quæcunque habuerit eo ipſo priuatus exiſtat, ad eaque vlterius retinenda inhabilis reddatur eaque liberè impetrari, & conferri poſſint.

Et infra. *In foro autem conſciẽtiæ nemo blaſphemiæ reus abſque grauiſſima pœnitentia ſeueri Confeſſoris arbitrio iniuncta, poſſit abſolui.*

Et infra. *Qui vero Iudices ſeculares in blaſphemis inquirendis puniendiſque diligentes; &*

ſueri fuerint, pro qualibet vice decem annorum Indulgentiam conſequentur.

Quicunque verò blaſphemantem audierint eum verbis acriter obiurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe continget, eundemque deferre, vel notificare apud Iudicẽ Eccleſiaſticum, ſeu ſecularem intra triduum debeant. Quod ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audiuerint, ſinguli eum accuſare teneãtur: niſi forte omnes cõuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute ſanctæ obediẽtiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro diuini hominis reuerentia, & honore in ſuis dominijs, ac terris præmiſſa omnia ſeruari, & exactiſſimè exequi mandent, ac faciant, vberrimam ab ipſo Deo tam boni ac pij operis mercedem habituri ſimilemque annorum decem Indulgentiã ab Apoſtolica ſede conſecuturi cum tertia parte mulctæ, qua dictus blaſphemus plectetur, quoties tale ſcelus puniendum curauerint. Quã quidem Indulgentiam, et reliquam tertiæ mulctæ partem accuſatori blaſphemi nomen deferenti, ſimiliter concedi, & aſſignari volumus; alijs pœnis contra huiuſmodi blaſphemos per ſacros Canones expreſſis, nihilominus in ſuo robore manentibus.

L'iſteſſo decreto contro i beſtemmiatori Tradotto in volgare.

PEr eſtirpare l'eſſecrabil beſtemmia la quale ſopramodo ha preſo forza in grandiſſimo vilipendio del nome di Dio, & de' Santi, ordiniamo che ciaſcuno, che in publico maledirà Dio, & eſpreſſamente beſtemmierà il Sig. Noſtro Gieſu Chriſto, ouer la Glorioſa Vergine Maria ſua madre con parole ingiurioſe, & obſcene, ſe quel tale haurà maneggio d'vfficio publico, ò di giuriditione per la prima, & ſecōda volta perda gli emolumenti di detto officio di tre meſi, & ſe la terza errerà, ne reſti priuato ſenza altro:

Se ſarà Chierico, o Sacerdote, ſubito che ſarà conuinto di coſi fatto peccato, ſia punito nella perdita de' frutti d'vn anno, a' applicarſi come di ſotto di tutti i ſuoi beneficij, & queſto ſia per la prima volta, che in tal modo il beſtemmiatore peccherà. Per la ſeconda s'incorrerà nell'iſteſſo delitto, & reſti conuinto, come di ſopra, s'ha vn beneficio ſolo, ſia priuato di quello. ma ſe n'ha piu, ne perda vno ad arbitrio dell'Ordinario, et ſe la terza volta caderà in queſta ſceleraggine, & ſi conuinca, ſenza altro ſia priuato di tutte le dignità, & beneficij, che ſi troua hauere, & ſi renda inha-

bile per l'auuenire à ritenergli, & quelli liberamente si possano impetrare, & conferire.

Et poco dipoi. *In foro conscientiæ poi nissun bestemmiatore possa esser assoluto senza grauissima pena da imponergli ad arbitrio di seuero Confessore.*

Et poco dipoi. *Et quelli, che nella inquisitione di detti delitti saranno diligenti, & nel punirgli seueri, per ciascuna volta guadagneranno diece anni d'indulgenza, & la terza parte della pena pecuniaria.*

Quelli poi, che sentiranno il bestemmiatore, siano tenuti di riprenderlo con aspre parole, se però potranno farlo senza lor pericolo, & debbano notificarlo al Giudice Ecclesiastico, ò Secolare fra tre giorni, & se saranno più d'vno, che vnitamente habbiano vdito esso bestemmiatore, ciascuno sia tenuto d'accusarlo, saluo se tra loro per auẽtura non conuenissero, che vno sodisfacesse per tutti.

Onde esortiamo tutti nel Signore, per virtù di santa obedienza, che per riuerenza, & honore del nome di Dio, commandino, & faccino, che siano osseruate, & essequite le sopradette cose diligentissimamente nelle terre, & dominij loro; douendo riportare da Dio larghissima mercede di così

buona,

buona, & pia opera, & ſimilmẽte diece anni d'indulg. dalla ſede Apoſtolica con la terza parte della pena della qual il detto Beſtẽmiatore ſarà punito, & queſta per ogni uolta, & procureranno, che ſimil ſceleraggine ſia caſtigata; la qual indulgenza con l'altra terza parte della pena, vogliamo ſimilmente, che ſia conceſsa, & aſſignata all'accuſatore, che denontierà il nome del beſtemmiatore laſciando nondimeno nel ſuo eſsere, & fermezza ogni altra pena eſpreſsa per i Sacri Canoni contra ſimiii beſtemmiatori.

Decretum Concilij Tridentini contra eos qui clandeſtina Matrimonia attentauerint ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1.

T*Ametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſse matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi ſint illi, vt eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſse negant; quique falsò affirmant, matrimonia, a filijs familias ſine conſenſu parẽtum contracta, irrita eſse, & parentes ea rata, vel irrita facere poſse: nihi-*

lominus

lominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. verùm, cum sancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse; & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugijs ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta cum alia palam contrahunt, & eum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non videat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; Iccirco sacri Lateranẽsis Concilij, sub Innocentio Tertio celebrati, vestigijs inhærendo præcipit, vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur, vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, uel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, vel alijs vtatur

verbis iuxta receptum vnuiſcuiuſque Prouinciæ ritū. Quod ſi aliquādo probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe.ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius cōſummationem denūciationes in Eccleſia fiant, vt, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & iudicio ſancta Synodus reliquit.

Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, et nullos eſſe decernit, prout eos p̄ſenti Decreto irritos facit, & annullat.

Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel Sacerdote huiuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.

Præterea eadem ſancta Synodus, hortatur vt coniuget ante benedictionem ſacerdotalem, in

Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent: statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri; neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licētiam ad prædictam benedictionem faciendam alij Sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio, non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos siue regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ spensos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi qui matrimonio interesse debebat. seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemque & locũ contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat.

Postremo sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij cõsummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctiss.mum Eucharistiæ sacramentũ piè accedant. Si quæ prouinciæ alijs, vltra prædictas laudabilibus consuetudinibus, &

eremonijs hac in re vtuntur, eas omninò retine-
i ſancta Synodus vehementer optat.

Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quenquam
teant, Ordinarijs omnibus præcipit, ut cum pri-
um poterunt, curent hoc decretum populo publi-
ri, ac explicari in ſingulis ſuarum diœceſum pa
chialibus ecclesijs, idque in primo anno quam
piſſimè fiat, deinde verò quoties expedire vide-
nt. Decernit inſuper, vt huiuſmodi decretum
vnaquaque parochia ſuum robur poſt triginta
es habere incipiat, à die prima publicationis, in
dem parochia factæ, numerandos.

Il medeſimo Decreto fatto in volgare.

B Enche non è da dubitare, che li matrimonij
clandeſtini fatti con il libero cõſenſo di con-
hènti, ſiano fermi & veri matrimonij, men-
che la Chieſa non gli ha fatti inualidi, & per-
ſi debbano dannare (come il ſanto Concilio gli
atematiza) quelli i quali negano tali matri-
nij eſſere veri & fermi, & i quali falſamente
ermano i matrimonij contratti da' figliuoli di
niglia ſenza il conſenſo de' loro padri, eſſere
lli & inualidi, & eſſi padri potergli fare vali-

di, ò inualidi: Nondimeno la Sãta Chiesa di Dio per giustissime cause sempre ha tali matrimonij biasimati, & prohibiti. Ma hora il santo Concilio vedendo che quelle proibitioni per la disubidienza de gli huomini già non giouano; & considerãdo i graui peccati che dalli medesimi matrimonij clandestini nascono, massime di coloro, i quali perseuerano in stato di dannatione, mentre abbandonata la prima moglie, collaquale di nascosto & clandestinamente haueano cõtratto il matrimonio, publicamente contraono con vn'altra, & con quella viuono in perpetuo adulterio: Al qual male non si può soccorrere dalla Chiesa, che non giudica delle cose occulte, se non vi si pone alcuno rimedio più efficace. Per questo, seguendo i vestigij del Sacro Concilio Lateranense, celebrato sotto Papa Innocenzo Terzo, commanda che per l'auuenire, auanti che alcun matrimonio si contragga, dal proprio Sacerdote Parochiano di essi contrẽti, tre volte in tre giorni di festa cõtinui, nella Chiesa trà la solennità delle Messe si debba publicamente dinontiare trà quali persone si ha da contraere il matrimonio.

Quali denontie fatte, se non vi si oppone alcuno legittimo impedimẽto, si proceda alla celebratione del matrimonio in faccia della Chiesa; do-

ue il

e il Sacerdote Parochiano hauendo dimandati; & interrogati l'huomo, & la donna; & inteſo l loro mutuo, & libero conſenſo, ouero dica: Ego os in matrimonium coniũgo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; *ouero vſi altre parole, ſecondo l'approbato coſtume, & rito di iaſcuna Prouincia.*

Ma ſe alcuna volta ſarà probabile ſuſpitione, he il matrimonio poſſa eſſere malitioſamente impedito, ſe inanti fuſſero fatte tãte denontie; allhora, ouero ſi faccia vna denontia; ouero almeno in preſenza del Sacerdote Parochiano, et di due, ò tre teſtimonij ſi celebri il matrimonio; & doppo inanti la conſummatione di eſſo matrimonio, ſi faccino le predette denontie nella Chieſa, accioche ſe vi ſono alcuni impedimenti, più facilmente ſiano ſcoperti; eccetto ſe il Prelato ordinario giudicarà eſſere iſpediente, che le dette denontie ſi tralaſcino; Ilche il Santo Concilio laſcia alla prudenza, & giudicio di eſſo Ordinario.

Quelli, i quali attenteranno di contraere matrimonio altrimẽte, che in preſenza del Prete Parochiano, o d'altro Sacerdote (con licenza però di eſſo Parochiano, o del Prelato ordinario) & preſente due, o tre teſtimonij; il Santo Concilio gli fa totalmente inabili a contraere il matrimonio in

tal modo; & decreta li contratti essere irriti, & nulli, come per il presente decreto gli fà irriti, & annulla.

Di piu commanda il Santo Concilio, che quel Prete Parochiano, o altro Sacerdote, che interuerrà a tal contratto di matrimonio con minor numero di testimonij, & similmente quei testimonij, che interuerranno senza il Prete Parochiano, o Sacerdote, come è detto di sopra; & cosi anco essi contrahenti medesimi siano grauemente puniti ad arbitrio di esso Ordinario.

Oltra di questo il medesimo Santo Cõcilio esorta, & ammonisce, che gli sposi auanti la benedittione Sacerdotale, quale si habbia a riceuere nella Chiesa, nõ habitino insieme nella medesima casa.

Et ordina, che la detta benedittione si debba fare dal proprio Sacerdote Parocchiano; & che da nissun altro, eccetto da esso Prete Parocchiano, ouero dal Prelato Ordinario si possa concedere licenza di fare detta benedittione: non ostante qual si voglia consuetudi ne ancora immemorabile, quale è piu tosto da chiamarsi corrottela, o altro priuilegio, che vi fusse.

Et se alcuno Parocchiale, o altro Prete, o sia regolare, o secolare (ancorche pretenda questo essergli lecito per alcuno priuilegio, o consuetudine im-

memora-

memorabile) preſumerà di congiongere in matrimonio, ò benedire gli ſpoſi d'altra Parochia ſenza licenza del proprio Sacèrdote parochiale di essi ſpoſi, ipſo iure ſia ſoſpeſo dall'officio ſuo, infin' à tanto che ſia aſſoluto dall' Ordinario di quel Prete Parochiano, quale douea interuenire à detto matrimonio, ouero dalquale era da riceuerſi la benedittione.

Comanda anco il Santo Concilio, che il Prete Parochiano debbia hauere vn libro, nelquale habbia da ſcriuere gli nomi delli ſpoſi, & de' teſtimonij, che ſono interuenuti al cõtratto del matrimonio, & il giorno, & il luogo del detto matrimonio contratto; qual libro debbia diligentemente cuſtodire, & guardare appreſſo di ſe.

Vltimamente il Santo Concilio eſſorta gli ſpoſi, che inanzi che contraggano, ò almeno tre giorni auãti la conſummatione del matrimonio, confeſſino diligentemẽte i loro peccati, & diuotamente vadano à riceuere il ſantiſſimo Sacramẽto della Eucariſtia. Et ſe alcune Prouincie in queſto haueranno oltre le predette, altre laudabili vſanze, e cerimonie, eſſo Santo Concilio grandemente deſidera, che quelle in ogni modo ſi tengano, & ſi oſſeruino. Et acciòche queſti precetti tanto ſalutari ſiano manifeſti à ciaſcuno, commanda a tutti gli

Ordinarij, che quanto prima potranno, habbiano cura di far publicare & dichiarare questo Decreto al popolo in tutte le Chiese parochiali delle loro Diecesi: & questo si faccia spessissime volte nel primo anno, & doppo quante volte conosceranno essere ispediente. Dipiù vuole che il presente Decreto cominci ad hauere il suo effetto in ciascuna parochia, doppo trenta giorni da contarsi dal giorno della prima publicatione fatta nella medesima Parochia.

Decretum Concilij Tridentini, de ijs qui decimas non soluunt. sess. 25. tit. de Reform. cap. 12.

NOn sunt ferendi, qui varijs artibus decimas Ecclesijs obuenientes subtrahere moliũtur; aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertũt; cum decimarum solutio debita sit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadãt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus cuiuscunque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas ad quas de iure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscunque alijs Ecclesijs, vel personis quibus legitimè debentur, integrè persoluãt.

Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur. Hortatur dehinc omnes & ſingulos, pro chriſtiana charitate, debitóque erga Paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi a Deo collatis, Epiſcopis, & Parochis qui tenuiori bus præſunt Ecclesijs, largè ſubuenire ad Dei laudem, atque Paſtorum piorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

Il medeſimo Decreto fatto volgare.

N*On ſi debbono ſopportare quelli, iquali con varie aſtutie, machinano di ſottraere le decime, che peruengono alle Chieſe; ouero coloro che temerariamente occupano, & conuertono in coſa propria quelle, che da gli altri ſi debbono pagare; atteſo, che il pagare le Decime, ſia coſa debita à Dio; & quelli che non le vogliono dare, ouero impediſcono quelli, che le danno, s'intromettono nelle coſe d'altri. Per queſto il Sacro Concilio comanda à tutti di qual ſi voglia grado & conditione ſiano, a' quali ſpetta il pagare le Decime, che quelle, allequali di ragione ſono tenuti, per l'auuenire intieramente paghino alla Catedrale, od à qualunque altre Chieſe, ouero perſone, allequali le*

gitima-

gittimamente si debbono: & quei che le sottraono, od impediscono, siano scommunicati; & non siano assoluti da questo peccato, se non fatta prima la piena restitutione. In oltre esorta tutti per la carità christiana, & debito officio di ciascuno verso i suoi Pastori, che de i beni che hanno riceuuti da Dio, non sia lor graue, à laude della Maiestà sua, & mantenimento della Dignità de' loro Pastori che vegghiano per la salute loro, di souuenire largamente i Vescoui, & Parochi quali hanno le Chiese di poca entrata.

Decretum Concilij Tridentini de vsurpantibus bona & iura Ecclesiastica, editum, sess. 22. cap. 11.

SI quem clericorum, aut laicorum, quacunque is dignitate etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Ecclesiæ, seu cuiuscunque secularis, vel regularis Benefitij, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quæ in ministrorum & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios,

vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum, aut laicorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito colore, in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur; Is anathemati tādiu ſubiaceat, quamdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocūque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ peruenerint, Eccleſiæ, eiuſque adminiſtratori, ſiue Beneficiato integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontefice abſolutionem obtinuerit. Quòd ſi eiuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiā iure patronatus vltra prædictas pœnas, eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu cōſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat; necnon quibuſcunque Beneficijs priuatus ſit, & ad quacunque alia Beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionē, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpēdatur.

Il medeſimo Decreto fatto in volgare.

SE *l'Auaritia radice di tutti i mali, in tanto occuparà l'animo di alcun chierico, ò laico, di*

qualunche Dignità risplenda anco Imperiale, ò Regale, che presuma per se, ò per altri, con forza, o con timore, ouero ancora per supposite persone di chierici, ò laici, ouero con qual si uoglia arte, ò procurato colore, conuertire in proprij vsi, & occupare, ò impedire che non si riceuano da coloro, à chi di ragione toccano, le giuriditioni, beni, censi, & ragioni anco feudali, & ensiteotiche, frutti, emolumenti, ouero qual si voglia obuentione (che si debbono conuertire in necessità de' ministri, & de' poueri) d'alcuna Chiesa, ouero di qualunche Beneficio secolare, ò regolare, di Monti di pietà, & d'altri luoghi pij; questo tale sottoggiaccia all'anatema, cioè alla maledittione, & scommunicatione maggiore, sin tanto che hauerà intieramente alla Chiesa, & al suo Amministratore, ò Beneficiato restituito le giuridittioni, beni, robbe, ragioni, frutti, & redditi, iquali hauerà occupato, ouero in qual si voglia modo, anco per donatione di supposita persona gli saranno peruenuti nelle mani; & dapoi hauerà ottenuta l'assolutione dal Pontefice Romano. Et, se sarà patrone della medesima Chiesa, sia subito oltre l'altre pene, priuo anco del Iuspatronato. Et il Chierico che sarà stato fabricatore di questo scelerato inganno, & di tale vsurpatione, ò ne sarà stato consentiente, sot-

togiaccia alle medeſime pene ; & di più reſti priuo d'ogni ſorte di Beneficio , & ſia fatto inhabile a qualunque altro Beneficio , & anco doppo l'intera ſoddisfattione, & aſſolutione ſi ſoſpenda dall'eſſecutione de' ſuoi Ordini ad arbitrio del ſuo Ordinario .

Edictum de Reſidentia .

IOANNES DEI, & ſedis Apoſtolicæ gratia Sanctæ Ferrarienſis Eccleſiæ Epiſcopus .

QVæ de reſidentia, & antiquis, & noſtris temporibus ſanctè , & vtiliter hactenus in Eccleſia Dei ſancita fuerunt adeo multa, & grauia illa quidem ſunt , vt iure ſuo quoſcunque huic muneri adſtrictos in officio facile continere deberent , ſed peccatis noſtris ita exigentibus quotidie magis creſcit audacia, pietas vero ac omnis diſciplinæ Chriſtianæ ratio labitur ; ex quo fit vt homines nimium ſibi confidentes facilius , & ſæpius in munere ſuo delinquant, cum vero intellexerimus in hoc grauiſſimo Reſidentiæ perſonalis negotio peccare multos, & quorundam contumaciam vſque adeo creuiſſe in hac Ciuitate, &

Diœcesi Ferrariensi, quod suis relictis Ecclesijs, & stationibus aliunde peruagantur, nostræ Pastoralis sollicitudinis partes esse reputamus opportuna, & expedita remedia huic morbo adhibere: Omnes igitur, & quoscunque Ecclesiasticos in hac Ciuitate, & Diœcesi Ferrariēsi dignitates, Canonicatus, officia, Parochiales Ecclesias, Capellas, & beneficia quæcūque, & qualiacūque personalē residentiā exigētia habentes, hoc nostro Edicto requirimus, & monemus, ac in virtute sanctæ obediētiæ, auctoritate ordinaria, & Sacri Concilij Tridentini, præcipimus, & expresse mandamus, vt existentes in Vrbe Ferrariæ infra tres, qui vero extra eam infra quindecim dies, quos singulis debitè, & respectiuè referendo, pro primo, secundo, ac tertio, & peremptorio termino, ac monitione Canonica, vt supra assignamus, præter alias pœnas à Sacro Concilio Tridentino, & decreta à Reuerendissimis antecessoribus nostris ædita, quæ renouamus, & confirmamus inflicta, & comminata, sub pœna priuationis dictorum beneficiorū, & excommunicationis ipso facto, & absque alia declaratione dicto termino elapso incurrenda debeant omni exceptione, & impedimento remoto ad suas Ecclesias, & stationes accedere, in eisque permanere, & cum effectu residere, & munera

sua

ſua quantum Deus dederit promptè, & in ſinceritate cordis præſtare, ita ut Beneficiorũ ſuorum Reſidentiæ integrè ſatisfaciant, nec ab eiſdem locis, & Eccleſijs ſine noſtra facultate ſcripto exarata vllatenus diſcedant: Decernentes huius Edicti exempla impreſſa ualuis EccleſiæCathedralis, & Palatij Epiſcopalis affixa, quoſcunque afficere, ac ſi perſonaliter ipſis forent intimata.

Dat. Ferrariæ in Palatio noſtro die 27. Septembris. M. D. X C.

IOANNES DEI, & Sedis Apoſtolicæ gratia Sanctæ Ferrarienſis Eccleſiæ Epiſcopus.

ESſendo neceſſario al Paſtore ſaper bene lo ſtato delle ſue pecore, & riconoſcere diligentemente la faccia loro, ciò moggiormente le conuiene circa quelli, liquali hà da aſſumere, ò già ſono aſſonti in parte della ſollecitudine ſua, per inſegnar & ammaeſtrar altri, per offerire il ſantiſſ. Sacrificio della Meſſa, per miniſtrar gli ſanti Sacramenti, per eſſercitar qual ſi voglia funtione Eccleſiaſtica, & per condur le anime al ſupremo Paſtore nelli paſcoli della vita eterna. Onde eſſendoſi degnato Dio benedetto, per ſua bontà, dar-

ci la cura Pastorale di queste anime, è obligo nostro di vsar in ogni tempo, & tanto più nel principio di questo nostro spiritual regimento, tutte quelle diligenze, che conuengono per essercitarla fruttuosamente, & cominciar à conoscere personalmente le persone Ecclesiastiche, che in ciò deuono per la vocatione loro essere nostri Cooperatori in queste fatiche Spirituali. Però oltra gli auuertimenti, che daremo, per quelli, che faranno elettione con l'aiuto diuino di promouersi alli sacri Ordini minori, & maggiori.

Ordiniamo hora, che per l'auuenire nissuno veste l'habito Clericale, senza presentarsi prima da noi, & ottenere licenza nostra in scritto, senza laquale saranno spogliati dell'habito loro. Noi poi mossi dall'authorità de' sacri Canoni, dalle constitutioni de' Sommi Pontefici, & particolarmente di Gregorio VIII. d'Innocenzo Terzo, & di molti Concilij generali, & particolarmente di quello di Trento, che impone la suspensione de gli ordini, & priuatione de' Beneficij à chi non vestirà secondo la prescrittione de' Vescoui; Comandiamo, che questi, & tutti gli altri, che di presente portano habito Ecclesiastico, ouero sono tenuti di portarlo, in virtù di Santa obedienza, & sotto le pene, & censure cõtenute ne' suddetti Concilij,

che

che per l'auuenire portino due veſti longhe negre fin' à piedi; ſe non hauranno facoltà dalla Sede Apoſtolica di portar mantelletto, & quando andaranno in viaggio due veſti fin' a meza gamba, & tutte ſiano della materia de' panni, che ricercarà la qualità della ſtagione de' tempi, ma non ſiano di ſeta pura, & nella viſita perſonale, che faremo, con l'aiuto diuino, di tutti, preſcriueremo la forma di che douräno eſsere le veſtimëta, che ciaſcuno dourà portare, ſecondo la qualità, & grado ſuo. Et fra tanto non ſi ammettino al ſeruigio di Chieſa alcuna, ſe non ſaranno veſtiti condecentemente, & che non habbino coſa prohibita in queſto Editto.

Non portino camiſcie con lattughe, ne calze bianche, ne di colore alcuno, portino la beretta continuamente, & quando poi piouerà, ò ſaranno in viaggio, portino capello quadro.

Non portino annelli, ſe non ſaranno in dignità, che lo conceda.

Non portino armi di ſorte alcuna, ne altra coſa ſimile, che ſia contra gli ordini della modeſtia, & diſciplina Eccleſiaſtica.

Tutti gli Sacerdoti, che non hanno legittimo impedimento celebrino almeno tutte le feſte, che ſono di precetto di Santa Chieſa, & ciaſcuno con-

forme alle fundationi ſue alli Altari loro Titolari, & non in altri luochi, & particolarmente nelle caſe priuate, anco doue ſiano Oratorij, ne anco alle Chieſe delle Monache, ſenza noſtra licenza in ſcritto, ſotto la pena della ſcommunica, & altre pene ad arbitrio noſtro, & à queſto medeſimo ordine di non celebrare in ſimili luochi, obligamo ancora tutti i Regolari della Città, & Dioceſe noſtra, fuori delle loro Chieſe.

I Parochi attendino a confeſſare, & miniſtrare i ſanti Sacramenti a quelli della Parochia loro, & non ad altri, ſenza licenza noſtra.

Niſsuno, che non habbia beneficio Curato in titolo, confeſſi, ne amminiſtri Sacramento alcuno, ne predichi, ſenza licenza noſtra in ſcritto, riuocando, & annullando noi tutte le licenze, che fin qui ſi ſono in qual ſi uoglia modo conceſſe.

I Regolari parimente non faccino alcuna delle ſudette funtioni, ſenza licenza noſtra in ſcritto, & quando ſaranno eſaminati, & ammeſſi da noi alle confeſſioni, non aſſoluino perſona alcuna da caſi riſeruati a noi, ſenza facoltà noſtra, in uigore de' Priuilegij ch'hanno, ſi come è ſtato dichiarato dalla Santa Sede Apoſtolica, & ſe ſaranno inuitati a confeſſar infermi nelle caſe loro, auiſino ſubito i proprij Parochi, informandoſi diligen

temente dello ſtato loro, nè mai aſſoluino, chi ſi troua in peccati di concubine, ò in altre occaſioni, ſe prima non ſi ſarà ſeparato.

Niſſuno Rettore, ò Superiore, ò Sacriſta, di qual ſi voglia Chieſa, laſci predicare, ne celebrare Sacerdote alcuno, che nō ſia di queſta Città, & Dioceſe, ne anco Regolare ſe non moſtrerà la licenza noſtra in ſcritto.

Non habiti alcuno ancorche ſia foraſtiero, ò Regolare in caſe de Secolari, ne per Capellano, ne per Precettore de figliuoli, ne per qual ſi voglia altra cauſa, ſenza licenza noſtra.

Non tenghino Donne in caſa, ne anco le più propinque parenti, ſenza licenza da noi in ſcritto, ſotto grauiſſime pene, ad arbitrio noſtro.

In quorum omnium fidem, & teſtimonium hoc Edictum imprimi, ac de more per affixionem valuis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, & ædium Epiſcopalium promulgari iuſſimus.

Datum Ferrariæ ex ædibus noſtris Epiſcopalibus die vi. Octobris. 1590.



Auuertimenti Generali per le Processioni Triduane da osseruarsi dal Clero di Ferrara.

IOANNES, DEI, & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ Episcopus.

